

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen


Digitale Sammlungen


**Orationes III. De Scholæ Bremensis Natalitiis, Progressu
Et Incremento**

Meier, Gerhard

Bremæ, 1684

urn:nbn:de:gbv:46:1-1083







Handwritten signature or text, possibly "Herrn H. Weyden"

ORATIONES III.
 DE
 SCHOLÆ BRE-
 MENSIS NATALITIIS,
 PROGRESSU ET INCREMENTO.

Quarum

I. Dicta est d. VIII. Cal. Maj. a. clō Iōc LVI.
 à Gerharo Mejero, S. Th. L. & P. P. prof. felici Recto.
 ratus sch. Br. auspicio.

II. Ab eodem d. XIV. oct. a. clō Iōc LXXXIV.
 cū primum Jubilæum illustris scholæ Bremens.
 solenniter celebraretur.

III. Eodem die à Diderico Sagittario, Eloqu.
 P. P. Pædagogearcha & Bibliothecario.



BREMÆ,
 Typis & impensis HERMANNI BRAUERI, ibidem illustris
 Gymnasilii typographi.
 Anno clō Iōc LXXXIV.



Inclytissimo lib. & Imperial,
Reipubl. Bremensis

SENATUI,

Magnificis admodum, Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis Dominis

CONSULIBUS,

SYNDICIS

&

SENATORIBUS,

Salutem & officia humilima.



nter virtutum decora, quæ principes ac magistratus exornant, Liberalitatem maximè commendat Plato, sapientiæ antistes. Equidem sunt & alia quæ civium subditorumq; amorem erga superiores conciliant; inter ea tamen munificentia primum obtinere videtur locum; quippe quâ nihil humane naturæ accommodatius est, nihil utilius, nihil ad al-

❧❧

licendum animos in mutuis præstandis officiis efficacius. Quamvis verò nobilissimæ hujus virtutis exercitium circa varia versetur, præcipuam tamen dubio procul promeretur laudem, si in suscitandis alendisque bonis literis, atque hunc in finem erigendis atque sustentandis scholis & academiis, ea se exserat. Quò enim major ejus rei necessitas est, in quam suas impendit opes, eò majori illam præconio dignam esse planum perspectumque est. Jam verò literarum summa est cum utilitas tum necessitas. Sine harum adminiculo in tota mundi compagine diuturnum esse potest nihil; sine artium subsidio nec ecclesiæ nec reipublicæ status tranquillus. Nec utriusque solum ornamenta illa sunt, sed & præsidia. Exstare certe Deus illas voluit veluti lucentes quosdam ignes in tempestuoso eoque tenebricoso mari. Tolle literas & nihil nisi squalor & tenebræ atque ferox imò ferina vita supererunt. Accedit quòd sola in ingenuas scientias exercita magnificentia summatibus pariat immortale nomen & gloriam; quam certè non consequuntur ex iis, quorum laus caduca & mortalis est, etiamsi interdum externam aliquam perpetuitatem polliceri videantur. Pyramides, obelisci, Mausolea & superba marmora speciem habent at fructum memoriæ non ferunt. Statuas, basilicas, fora & theatra urbis Romæ consumsere tempus & ævi senectus. Sola lux & fama literarum in inçlyta illa urbe nata atque aucta eternitatis geniùm habent, earumque splendor omnes Europæ, Asiæ atque Africæ limites excessit. Ex eodem fonte Theodosius II. academiæ Bononiensis, Carolus M. Patavinæ & Rapiensis, Fridericus I. Ferrariensis, Carolus IV. Pragensis, Dagobertus Francorum R. Erfurdienſis, Rudolphus Augustus Viennensis, principes alii ac reipublicæ aliarum academiarum atque illustrium scholarum conditores æternæ laudis ac gloriæ præmiùm obtinuerunt. Quibus laudatissimis fundatoribus optimo jure annumeramus sapientissimos decessores vestros & vosmetipsos, Magnifici ac Nobilissimi Domini, urbis patriæ proceres,

173

ceres, ob publicam scholam nostram, literarum Seruditionis omnigenae officinam, vestris auspiciis & institutam & hucusque auctam atque sustentatam. Ex qua cum in urbem non solum sed & vicinas, imò remotiores etiam, provincias fructus & commoda uberrima redundaverint, nullà infigne hoc beneficium reticentiã sepeliri sed omni conatu ab oblivione vindicari debuit.

Eam in finem præterito die XIV. Octobr. absoluto nempe primo à condita publica schola annorum centenariò, meritò institutum & feliciter in summa S. P. Q. B. frequentia, lætitia ac solennitate transactum festum seculare ac jubilæum est; quo Deo cum primis immortalì pro ineffabili beneficio, quòd à primis publici Athenæ natalibus idem gratiã sua clementissimè aspiraverit, summæ actæ gratiæ sunt; & deinde etiam vestris decessoribus vestrisque Amplitudinibus, faventissimi Domini, ut fundatoribus atque altoribus ejus, digna laudum præconia dicta sunt.

Ego ut exiguam pro mea tenuitate symbolam ad solennitatem hanc conferam, ea, quæ publicè ad summi Numinis gloriam vestrumque honorem cum applausu tum dicta sunt (quibus ob argumenti connexionem Orationem primam de scholæ Bremensis nataliis, progressu & incremento præmissi) typis descripsi, ut cum exteris tum posteritati constaret, quanta cum gratitudinis devotione tantum beneficium & quicquid boni ex auspiciata illa die in universam urbem redundavit agnoscerimus.

Hanc meam opellam, veluti obedientiæ & reverentiæ meæ pignus ac monumentum, dum vobis, Magnifici admodum, Nobilissimi, Amplissimi nec non Consultissimi Domini, submississimo affectu offero, benigna manu atque æquo, ut soletis, animo accipite meque in clientum vestrorum numero esse

(33)

esse finite. *Deus Trinitatus Opt. Max. dignitates vestras
& republ. patriam gravissimis hisce temporibus contra o-
mne infortunium porro paternè tueatur, sospitet ac confir-
met. V. Dabam Bremae d. XXVIII. Dec. A. erae nostrae
cdo lccLXXXIV.*

**Vestrae Magnificentiae atque
Amplitudinis**

demississimus servus

Hermannus Brauer / ill. scholae typograph.

Admo-



Admodum Reverendo & Clarissimo

DN. GERHARDO MEIERO,
SS. Theol. Licentiato & ill. Scholæ Patriæ
RECTORI dignissimo.

L Audibus antiquæ Grajis decorentur Athenæ,
Et Samii Latio nomina magna Senis,
Tu patris celebras meritò incrementa Lycei,
Bremanae & quondam sidera clara scholæ.
Priscorum hoc opus est, quod Bremæ claruit olim.
Quod patet hoc alius, clare MEIERE, tuum est.

JOH. HIPSTEDIUS Hist. & Eloq.
Prof. & Biblioth.

Tristia pelle procul, mœstum Bremense Lyceum,
Musarum sedes, tristia pelle procul.
Quid fles? quid plangis? quid mollia pectora tundis?
Quid tor tristitiæ vulnera corde foves?
Nempe tuum Crocium (sed quem non dico virosum,
Cùm Crocium dico, Lumen id eximium!)
Hunc Crocium ploras, quòd, quam dare Musa volebat,
Vitam illi mortis vis inimica neget.
O nigrosque dies quèis contigit ista videre,
Hunc Tantum terræ reddere membra sua!

O al-

❧❧❧❧

O albos verò, quæis ipsa resurgere *Crocæ*
 Claro in *Mejero* membra videre licet!
 Magno in *Mejero*, quem Phœbus Famaque magnum
 Huic orbi quondam jam retulere virum.
 Tristia pelle procul, nostrum *Bremense Lyceum*,
 Phœbi delictum, tristia pelle procul;
Mejerum hunc celebrem tibi *Gratia Trina* reducit
 Tradit ei sceptrum, tradit ei que librum,
 Illo te flectet vitiorum à tramite curvo
 Rectum ad vestigium, quo polus ipse patet;
 Ex hoc te *Jovæ* sacra dogmata ritè docebit,
 Quæ divina fiet, falsaque religio?
 Surgite jam Juvenes, Juvenes jam surgite cuncti,
 Bremensis Phœbi, quos sacra castra tenent,
 Surgite, *Reктору Mejero* solvite vota,
 Cum dextrâ dextram porrigitote fidem.
 Tu, serva que diu *Rectorem*, una que *Lyceum*,
 Magne *Deus*, cuncti fons & origo boni:
 Sis semper præsens *Reктору*, una que *Lyceo*,
 Ad Rectamque tuam dirige utrumque viam.

*Ex sincero pietatis affectu in Magnificum Dn. Rectorem,
 Promotorem suum multis modis observandum, non si-
 ne omnis generis prosperitatis appreciatione suorumque
 studiorum commendatione, hæc ponebat*

REINHOLDUS PAULI, Gedanens. S. Th. St.
 (postea S. Th. D. & in. acad. Marp. P. P.
 nunc cœles.)

❧❧❧❧

I
GERHARDI MEIERI, S. Th. L.

& P. P.
ORATIO PRIOR

De Scholæ patriæ natalitiis, progres-
su & incremento ad annum usque Dn.

clō 10 LXXXIV.

Habita pro ejusdem felici rectoratus Scholæ Bremensis
auspicio VIII. Cal. Maji a. Dn, clō 10c LVI.

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, ad-
modum Reverendi, Consultissimi, Prudentissimi &
Spectatissimi Domini,

Præses, Consules, Scholarchæ, Syndi-
dici, Senatores, Doctores, Pastores, Seniores,
Secretarii, Hospitèsque cæteri omnium Ordini-
um dignissimi.

Domini, Mæcenates & promotores omni obsequii & honoris cultus
prosequendi; fautores & amici nullo non officii genere colendi.

Plurimum Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Excellen-
tissimi, Experientissimi & Clarissimi Domini Professores, Fautores
& Collegæ multis nominibus honorandi.

Vos item Eximii, Reverendi & Doctissimi Domini pedago-
gei Præceptores, amici & collegæ singulariter amandi.

Denique Præstantissimi, Nobilissimi & Doctissimi Domini, fa-
cultatum omnium Studiosi, auditores charissimi.



Maximus ille Prophetarum.

Moses ad mysteriorum divinatorum pro-
mulgationem & principatum populi Is-
raelitici divinitus vocatus aliquoties

exclamat: Attende ad me, Domine: non sum vir facundus,
neque

Exod.
4.10.

Exo. 3:
11.

neque unquam antea fui, ne quidem ex quo locutus es cum servo tuo, sed impedito ore & impedita lingua sum. Quis ego sum, ut eam ad Pharaonem, & ut educam filios Israelis ex Aegypto? Voce hac tremebunda vir prudentiae dotibus cumulatissimus arduae oblectari studens vocationi deprecari imperium, splendidam servitutem, nec sine causa annisus est.

Cum enim caeteri mortales, tum imprimis curis, laboribus, molestiis & periculis expositi sunt, quotquot magistratum gerunt penesque quos rerum potestas est. Res iis expediendae tot saepe involutae sunt tricis, tantis implicatae difficultatibus, ut humana iis cedant non raro consilia viresque. Subditorum nonnunquam intolerabilis durities est & inobedientia. Sudandum, inquit Tullius, pro communibus commodis, adeunda inimicitiae, subeunda saepe pro republica tempestates, cum multis audacibus & improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Atque, quod difficilimum hic est, ut na vim diu agitatam procellis, ac vix sibi sereno coelo redditam, nova perpetuo excipit tempestas; sic labore uno vix superato praestò ante fores nova sollicitudo est, quae principes & rerumpublicarum proceres turbet, inquietet.

Nunquam placidam scepra quietem
Certumve sui tenuere diem.
Alia ex alia cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas,
Non sic Libycis sirtibus aequor

Furit

Furit alternos volvere fluctus,

Ut præcipientes regum casus

Fortuna rotat: metui cupiunt

Metuque timent, non nox illis

Alma recessus præbet tutos:

Non curarum somnus domitor

Pectora solvit.

ut canit nitidissimus Seneca. Ac proinde non immeritò Antigonum, hominem subtilis iudicii, traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse ac dixisse scribunt: *O nobilem magis, quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.* Novit & Moles noster in tam sævo mari navigare viros principes, novit quantum id roboris requireret, ex potentissimi Ægypti monarchæ, tanquam immanis lupi faucibus, imbellem Israëlitarum gregem eripere. Novit suæ indolem gentis ad murmura & rebellionem in Deum & magistratum pronam. Novit in *terram promissam* viam non nisi per avia, famem, sitim mediósque hostes patere. Meritò ergo detrectaturus principatum exclamat: *Attende ad me, Domine, non sum vir facundus &c. Quis ego sum, ut eam ad Pharaonem, & ut educam filios Israël ex Ægypto?*

Vox hæc Mosis ab eo tempore, quo Deo O. M. dirigente, decreto Ampliss. Senatus, moderamen Scholæ

In Agamemnon.

Stob. ferm. 46.

læ Bremensis patriæ mihi committitur, sæpius animo
 meo obversata non levem mihi impressit metum ad-
 eundi tam difficilem scholastici regiminis provinci-
 am. Et profectò, cum oneris suscepti magnitudinem
 cum viribus meis confero ac perpendo, qui & quanti
 ante me viri clavum scholastici nostri navigii tenuer-
 int, nescio, quis horror animum occupat & subvere-
 ricogit, ne impositæ moli succumbam. Equidem
 novi optimè, non mihi conscendendam esse turbu-
 lentam illam navim, quâ per molestiarum ac pericu-
 lorum illud mare vehuntur principes ac rerumpubl,
 præfules, aut ex tyranni manibus populum vindica-
 tum per deserta mediâsq; hostium turmas cum Mose
 ducendum: non minores tamen mihi pro mearum te-
 nuitate virum subeundæ sunt in scholastico hoc mu-
 nere molestiæ ac difficultates, quàm qui regnis ac re-
 buspublicis præfunt: hi siquidem longè eminentiori-
 bus naturæ ac prudentiæ dotibus ad politica expedi-
 enda negotia instructi sunt; & Moses quidem noster
 prophetarum fuit maximus; ego in cœtu Christi ser-
 vus minimus: ille extraordinario Dei adminiculo sub-
 levatus, huic mare scissum, huic panis pluit, huic petra
 scaturivit, huic ignis & nubis columna viam præmon-
 stravit; ego istiusmodi subsidiis pro Deum præsentem ec-
 clesiæ facie œconomia destitutus. Et, ut alia omittâ, l-
 le ætate rerûq; multiplici u. u perdoctus; ego mer nihil
 minùs

5
minùs quàm hisce polleo. Adde scholam veluti reipub-
licæ quandam umbram iisdem cum repub. exposi-
tam esse casibus. Magistratus nunquam vel rarò ad
palatum civium ac subditorum præfunt; *Rempublicam*
si quis malè rexerit, displicebit diis: sin bene, civibus, inquit
Chrysippus apud Stobæum. Sic & Scholarum mode- Serm. 41.
ratores censes ubique habent: hic informationem
carpit, mores ille; discentes alius, alius docentes; ille
accurationem nimiam & rigorem, hic socordiam
aut indulgentiam. Illi civium imperia detrectantium
sæpe inobedientiam & rebellionem experiuntur; *Fa-*
cilius siquidem est, verba sunt Xenophontis de instit.
Cyri, quibuslibet animantibus imperare quàm hominibus, lib. 1.
quoslibet greges suis pastoribus minori negotio quàm ab ho-
minibus homines agi duci que posse: hi similiter immunes
non sunt ab effreni sæpe adolescentum improbitate,
affectata licentia ac proterva morum feritate. Illi in-
vidiæ sunt expositi omnium. *Invidiâ* ait Lucretius, lib. 8.
fulmine summa vaporant: hi malevolorum telis non mi-
nùs obnoxii. Quæ omnia cum ad animum solici-
tius revoco, majore jure atque ipse Moyses difficili me
provincia subductum optarim.
Sed quid tandem aggredi reluctaberis, ad quod
divina te ducit manus? Quin potiùs divinæ voluntati
non esse obnitendum, nec majorum judiciis & bono-
rum incitamentis obstrependum, estius censeo. Nec

me ab obsequio Mosis exemplum poterit revocare,
 cui longè majus incumberebat onus. Illi dura & impia
 erat intranda Ægyptus; mihi liberale ingenuorum ju-
 venum gymnasium: ille reipublicæ gubernaculo fuit
 admotus; mihi extra regiminis politici turbas intra
 claustra scholastica licet quiescere: illi innumerum po-
 pulorum agmen; mihi exiguus grex committitur: illi
 quotidiana suorum metuenda murmura; mihi prom-
 tum spero meorum obsequium, Proinde, quando qui-
 dem visum ita fuit & Deo, summo illi Scholarum Re-
 ctori, & amplissimo sapientissimoque Senatu nostro,
 quæ res universæ Scholæ nostræ, imò & reipublicæ,
 mihi denique ipsi bene feliciterque vertat, age succe-
 dam in hunc locum & traditum navis scholasticæ cla-
 vum, annuente velificationis nostræ præside Deo, ca-
 pessam; erectus cum auxilii divini in impotentia ma-
 ximè suam potentiam exferentis fiducia, tum favore
 inclyti Senatus nostri, qui ut hoc honorificum de me
 iudicium tulit, ita consilii auxiliique sui copia meam, sat
 scio, sublevabit inopiam; suæ in eo vel imprimis existi-
 mationis habita ratione, ne scilicet hoc mihi mandato
 munere, nimis imperitè judicasse & bovi, quod est in
 proverbio, clitellas imposuisse videri præsentibus aut
 posteritati queat. Sed neque de me ipso adeò despe-
 ro, aut industriæ & ingeniolo qualicunque meo hanc
 facio injuriam, ut existimem, si viam illam, quam ve-
 stigis

7
stigiis nostrâ memoriâ antecessorû excellentissimo-
rum, *Matthiæ Martini, Johannis Combachi* rectorum, ac
Ludovici Crocii, rectoris vices nuper dexterrimè susti-
nentis, signatam impressamq; cerno, ipse quoque om-
ni conatu sequar, quòd multo sudore & vigiliis hoc
saltem consequi nequeam, ut ab eorû præstantia non
longissimè videar abfuisse. Accedit, quòd hæc ipsa no-
stra navis scholastica jam securâ naviget quibûsq; ve-
ctorum officium suum ultrò facientibus: ut proinde
magna aliqua & singularis in regendo dexteritas non
usque adeò necessaria videatur. Ubi sæva orta tem-
pestas est ac turbato mari rapitur vento navis, tum de-
mum viro & gubernatore opus; at verò tranquillo
mari & obsequente vento quilibet nautarum vecto-
rûmq; gubernare potest. Et quemadmodum concita-
to navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen
ipsa navis motum & cursum suum intermisso impetu
pulsûque remorum: ita navis hæc scholastica, ut maxi-
mè scientissimo gubernatore destituatur, parem ta-
men cursum deinceps etiam, uti spes est, obtinebit an-
tecessorum impulsu dexterrimo concitata. Quòd si,
quod abominor, adversæ tempestatis aliquid incur-
rat, est, quod gaudeã, eximios viros mihi quasi prore-
tas adjunctos esse, spectabiles scientiarum omnium
Professores, qui cum omnes & singuli in Scholæ di-
gnitatem atque salutem affectu singulari propende-
ant,

ant, haudquaquam à cursu ad boni publici cynosuram
directo, ut quidem spero rogóque, deflectere me pa-
tientur. Porro, cum mihi quoque mei numeris felici-
ter auspiciandi gratiâ more institutóque majorum om-
nino dicendum aliquid sit: non inconvenienter hu-
ic loco me facturum arbitror, si de schola hac nostra
patria, quam ante annos triginta circiter ultra integrũ
seculum Magnus hujusreipubl. Senatus instituit,
verba fecero. Hæc enim cum pietas sit protectò in-
gens dignaque, cujus memoriam non vetustas ali-
quando conficiat, sed florescat quotidie magis ma-
gisque ac canescat seculis innumerabilibus; nostra-
rum esse partium duximus, qui hac ipsa in schola ma-
ximam vitæ partem transegimus &, quod reliquum e-
jus superest, si Deo visum, totum ei devovimus, id da-
re operam, ne tantum Patrum patriæ beneficium ob-
livione unquam pereat. *Dicemus proinde pro virili no-
stro ac quousq; per temporis angustia licet breviter, de
Scholæ hujus nostræ ortu, progressu & incremento, quantum
nobis & monumenta & hominum memoria dictave-
rit, ita ut perpetua rectorum, professorum, collegarum suc-
cessio, opera, industria ac imprimis magnifici Senatus & am-
plissimorum Scholarum pro publica juventutis eaque ho-
nestissima educatione innotescat pia cura ac sollicitudo inter-
rupta.* Si pulchrum Ethnicis fuit animo grato com-
plecti, quid Themistocles, quid Scipio in sua quisque
patria

patria egerit, turpissimum sanè nobis Christianis foret, tantam laudem patrum nostrorum conticescere. Ubi, auditores omnium ordinum dignissimi, vos etiam atq; etiam, quâ par est, submissione, observantia studioque rogo, ut, si fortè minùs à me ornatè dicatur, quàm & hujus loci amplitudo & summa audientium dignitas postulât, meum tamen idcirco quantulumcunque conatum & vobis placendi studium non improbetis.

Dum sic solutâ anchorâ vela orationis pandimus, conspectui nostro se statim objicit, nobis tamen jam præternaviganda & eminus solùm conspicieda, SCHOLA, quæ ante annos circiter octingentos unâ cum canonicorum collegio pro pio istorum seculorum more ut alibi sic & hîc Bremæ cœpit. Ubicunque enim episcopalis cathedra auspiciis cum primis atque autoritate Caroli M. & Ludovici Pii, primorum Francicæ stirpis Cæsarum, constituta est, ibi monachorum simul, quos ab observato singulari vivendi canone à S. Augustino præscripto *Canonicos* hodièque vocamus, additum fuit collegium, cui injunctum scholarum habendarum negotium. Etenim omnibus illis in collegiis quidam constitutus est, qui scholas haberet, non minùs atq; in monasteriis aliis. Meminit ejus rei Ansegius hisce *Carolus siquidem constituit in singulis monasteriis & episcopis scholas esse, ubi ingenuorum & servorum filii Grammaticam, musicam & arithmeticam doceantur.* In Cabilo-

B

nensi

nensi quoque concilio ipsa illa constitutio hisce verbis
 cap. 43. laudatur: Oportet enim, sicut dominus Imperator Carolus, vir
 singularis mansuetudinis, fortitudinis & prudentiæ, justitiæ &
 temperantiæ præcipit, scholas constitui, in quibus literaria so-
 lertia, disciplinæ & sacræ scripturæ documenta discantur, &
 tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino: Vos estis
 sal terræ. Operæ precium est subungere, quod in pri-
 vilegio vicino Osnabrugensi episcopatu anno 804,
 Cran-
 Metrop.
 lib. 3. concesso legitur: Insuper (verba Caroli sunt) eidem epi-
 scopo ejusque successoribus concedimus licentiam, libertatem,
 & ab omni regali imperio absolutionem, nisi fortè contingat, ut
 Imperator Romanorum & rex Græcorum conjugalia fœdera
 inter filios eorum contrahere disponant: tunc ecclesiæ illius E-
 piscopus cum sumtu vel à rege, vel ab Imperatore adhibito,
 laborem simul & honorem illius legationis assumet. Et ea de
 causa statuimus, quòd in eodem loco Græcas & Latinas scho-
 las in perpetuum manere ordinavimus, nec unquam clericos u-
 triusque linguæ gnaros deesse confidimus. Inde ergo illud
 1. 3. Me-
 trop. 43. Cranzii: Quippe apud insignes ecclesias ab antiquo docti viri
 fovebantur, qui publicas scholas sustinerent, priusquam publi-
 ca literarum gymnasia, quæ nunc multa florent per Christiani-
 smum, erigerentur. Ab illo instituto est, quòd adhuc no-
 stro seculo plerisque canonicorum claustris scholæ ha-
 bendæ locus adjunctus sit quòdque uni canonicorum
 etiamnum Scholastici appellatio maneat. Atque hac ra-
 tione, ut alibi, sic & hic Bremæ unà cum sede episcopali
 scho-

scholam eamq; non infimi nominis esse institutam non una veterum docent nos monumenta. Nec enim probabile solum, Ansgarium archiepiscopum & successores Rembertum, Adalgarium & Hojerum, viros tam eruditione quam pietate incomparabiles quique nihil non ad propagandum Christianam religionem per universum septemtrionis tractum intentatum relinquere, scholas neglexisse, ex quibus tanquam plantariis pastores tam vastis regionibus submitterent. Sed & exsertè refert Albertus Abbas Stadenfis ad annum nongentesimum sexagesimum primum, quendam Triadhelium rectorem scholæ Bremensis. Hoc tempore, inquit, Bremæ claruit Eilhardus vir spontanea paupertate clarus, ecclesiæ præpositus, & regulæ canonicæ custos. Tunc & scholas ecclesiæ exiit Triadhelmus, qui fuerat magni Oetrici Magdeburgensis discipulus. Addit fuisse hunc Triadhelium Oetrici in cœnobio Corbejensi lectoris seu professoris scholastici, post archiepiscopi Magdeburgensis, discipulum ad demonstrandum hominis eruditionem. Erat enim Oetricus, teste Cranzio, vir ea tempestate doctissimus, cujus doctrinæ fama celebris auditores etiam illius illustravit. Qui enim Oetricum meruit audire præceptorem, aliquid sibi supra cæteros accepisse videbatur. Imò & Odincarum circa hæc eadem tempora regio Danorum sanguine natum scholæ Bremensi traditum esse atque ab Adaldago archiepiscopo educatum baptizatumq;

In Clirō
nico.

Metrop.
l. 3. c. 37.

Adamus
l. 2. c. 26.
hist. ec-
cles.

Crantz.
metrop.
c. 3. 43.

repetit ex Adamo Bremensi & Crantzio Wilhelmus Dilichius præfatione Chronici Bremensis. Idem ex iisdem author est, in schola Bremensi literis ac religione Christiana imbutos Osmundum & Vieelinum, illum Saxonum, hunc Aldenburgensem episcopum, apostolum Slavorum dictum. Quantum est, auditores, beneficium, tot populos, tam vastas per Holsatos, Danos, Norvvegios, Suedos, Livonos, Meckelburgenses aliasque vicinas regiones variis idolorum gentilium cultibus distractas in Christianæ gremium ecclesiæ convocasse! Quam sanctum, quam venerabile putatis tum exstitisse nomen ecclesiæ & scholæ Bremensis? Quam illustrem famam urbis patriæ, tanquam hospitii tam celebris ecclesiæ scholæque, quanquam tum jam ob mercaturam in septentrionales terras famigeratissima? Immortales profecto huic loco debent gratias regna illa, tanquam ex quo prodire primum, qui ignorantia nebulas & gentilium procellas superstitionum dissiparunt, non se cus atque sidus Castoris & Pollucis, ut referunt, suo exortu maris rabiem placare solent. Memori ac grata mente elegantio rem literaturam animique cultum acceptum ferimus Græcis & Romanis; longè potiori jure idem debebimus, à quibus cœlestem sapientiam hausimus, quæ tantum bonas literas, quantum divina humanis & æterna caducis, antecellunt.

Dolen.

Dolendum verò est, optimum hanc juventutem Christianam in collegiis canonicorum erudiendi morem non diu durasse, sed cum Carolo & Ludovico Pio multis in locis ferè iterum concidisse; in aliis verò vix ultra secula duo aut tria obtinuisse, canonicis docendi molestiam fugientibus & contra otio & luxurie indulgentibus partim, partim regum aularumque negotiis semet implicantibus. Obsistere quidem annis sunt ingruenti ignaviae atque inscitiae pesti concilia, sed vix alicubi quicquam praescriptum profuit remedium. Sic Lothario imperante anno à salute reparata DCCCLV. Concilii Valentini in Gallis celebrati caput octavum decimum repetit, scholas in singulis episcopatibus erigendas & sustentandas. Quod mandatum quarto post anno iterum, Ludovico Lotharii filio imperante in concilio Tullensi est instauratum.

Certè operam luit bonus Gratianus decreto suo inferens illam è seculo IX. Eugenii secundi & Leonis IV. paparum constitutionem factam in synodo Romana: *Necessaria res exigit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacarent. Itaque omnibus unum sit refectorium ac dormitorium, seu caeterae disciplinae ad usus clericorum necessariae.* Similiter non possumus non laudare Concilii Lateranensis, ut & Innocentii III. papae, ibidem in concilio generali latum decretum, non minus atque aliud ejusdem notae Honorii

III., quæ bono sanè consilio Raimundus de Penna fortibr. quinto, tit. V. decretalium inseruit & autoritate sua roboravit Gregorius IX. papa seculo tertio decimo. Sed ne ita quidem effectum aliquid est, quòd meritò laudes, rem ipsam non, qua par erat, severitate urgentibus papis, episcopis & canonicis in alia planè imò aliena intentis. Scilicet vitam canonicam exuerant canonici &, qui ex prisco instituto vivendi ratione nihilo à monachis ferè differabant, viventes scilicet in uno claustrò & habentes commune dormitorium, refectorium, lectorium & similia, claustrì repagulis solutis regulâq; conculcata tantum abfuerunt non multò post à canonicæ vitæ observantia, ut nec erubuerint *Irregulares* semetipsos appellare *canonicos*. In Germania initium pessimi facinoris à Trevirensibus factum, Ottone III. imperante seculo deficiente author est Trithemius in *Chronico Hirsaugiensi*. Id imitatos Bremenses seculo XI. Unvvanni archiepiscopi tempore, refert Albertus Cranzius, vir prudentia & pietate eximius, Adamus verò noster, ut & hujus descriptor Albertus Stadenfis, in tempora Bezelini Unvvanno post pauculos annos succedentis. Urget iusta indignatio recitare hîc verba nonnulla utriusque historici. Adamus quidem in vita Bezelini hæc profert: *Anno archiepiscopi (is erat Bezelinus) penultimo, domus S. Petri Bremæ conflagravit ejusque flamma incendii claustrum cum officinis,*

ficinis, urbem cum ædificiis omnibus consumpsit, veterisque ha-
 bitaculi nullum remansit vestigium: Ibi sacri thesauri ecclesie,
 ibi libri & vestes, ibi omnia ornamenta consumpta sunt. Ex illo
 tempore fratribus, qui antè canonicè vixerunt, extra clau-
 stium vagantibus, regula sanctorum patrum per multa prius
 secula studiosè conservata, primò negligentius haberi cœpit,
 deinde funditus abjecta consenuit. At Crantzius loquens Metrop.
lib. 4. c. 2. de Unvvano Bremensi in hæc prorumpit verba: Iste
 archiepiscopus primus omnium congregationes apud ecclesias
 cathedrales aliásque ad canonicam perduxit regulam: quæ an-
 tea quidem mixta ex monachis & canonicis, utraque conver-
 satione turbata, degebat, non vigeat. Qua occasione fratres
 licentiùs de clauastro egressi, mulierum consortia primò pete-
 bant absconsè, inde in maiorem dissolutionem abierunt. Paula-
 tim ergo defervescente in clero religione apud ecclesias ex
 monachis regulares canonici, & ex his seculares, ut nunc vo-
 cantur, canonici prodierunt. Quid autem deinceps ex hac re-
 solutione sit oriturum, quis novit? Interpretemur, oro, vocabu-
 lum, si canon est regula, canonici sunt regulares. Quid fiet de
 canonico seculari, nisi ut regularis sit irregularis? aut, si id ma-
 lumus, regulares sine regula? Erat is de votionis fervor sub san-
 ctis patribus, ut inter fratres ipsi etiam pontifices vicitarent,
 quod de hujus proximo legimus successore Libentio. Jam ven-
 tum est ad regulares, ut canonici dicerentur & essent: utinámq;
 ibi perdurassent. Inferior inventus est gradus canonicus secu-
 laris, hoc est, monstrum sine exemplo, regularis sine regula, ca-
 nonicus

nonicus sine canone. Hæc rerum Saxoniarum scriptor
 luculentissimus ipse capituli Hamburgensis decanus
 de canonicis nostris. Non ergo mirum, si licentia ca-
 nonicorum Bremensium ignaviam, ignavia schola-
 rum neglectum, scholarum neglectus pepererit insci-
 tiam & tantam quidem, ut ipsarum disciplinarum
 (computi ecclesiastici, musicæ, grammaticæ & theo-
 logiæ) quas populariter & rudi solùm Minerva tracta-
 re solebant, obliiti festum paschatos integrum ali-
 quando mensem anticiparint, illudq; dominicà Oculi
 celebrarint. Unde & ludibrium orbis Christiani facti
 versiculos hocce audire coacti sunt:

Bremenses asini cantarunt resurrexi.

Cum populus Domini cantavit oculi mei.

Sed & ruditas versiculorum, eorundem authorem fu-
 isse asinum, abunde testis est: & non nostrates solùm,
 sed & plerosque alios clericos ob inscitiam hoc acri-
 scommate haud indignos fuisse historia & temporum
 illorum querelæ non sinent nos ignorare. Unde &,
 quod de Bremensibus versiculi canunt, alij de Re-
 mensibus dictum asserunt. Nec verò apud canonicos,
 imò ne in cœnobiis quidem, scholæ priscae posthac re-
 stitutæ sunt in integrum, atque sic trita sunt aliquot in
 inscitia secula. Nisi quòd seculo XIII. in illam laudem
 successerint mendicantium novi ordines, & occasio-
 ne neglectarum à Canonicis scholarum via ac ratio-
 ne

ne alia principes urbiumque magistratus ad imitationem academiæ Oxoniensis, Parisiensis aliarumque nova hinc inde gymnasia, scholas & academias erexerint. Inter quas Germania seculo XIV. nacta est *Heidelbergensem, Viennensem, Pragensem, Coloniensem & Erfordiensem*. XV. *Herbipolensem, Lipsiensem, Rostochiensem, Friburgensem, Grypswaldensem, Basileensem, Ingolstadtensem, Tubingensem & Moguntinam*. XVI. paulò ante reformationem, *Wittebergensem & Francofurtanam*. Atque circa eadem tempora silentio haudquaquam prætereunda florentissima duo gymnasia nostra in vicina instituta, quibus ob Romanam linguam suonitori restitutam haud parùm debet ipsa Germania. Alterum *Monasteriense* ab Episcopo Conrado Ritbergen^{1500.}si, alterum *Daventriense* ab inelyto ejus urbis senatu^{1520.} fundatum. Hoc nobis *Erasmus Roterodanum, Johannem Murnelium, Hermannum Tulichium, Hermannum Buschium*, præclara humanioris literaturæ lumina, produxit; illud optima studia in Westphaliâ vicinamque Germaniam propagavit; hinc enim colonias elegantioris doctrinæ duxerunt *Petrus Nehemius Tremoniam; Lucas Lossius Lunæburgum; Josephus Horlenius Hervordiam; Alexander Meppensis Osnabrugum; Ludolphus Susatum; Tilemannus Mollerus Attendorum; & Bremam*, ut vix dubito, *Johannes Oldenburgius* primus scholæ reipubl. Bremensis rector,

C
Horum



Horum imitati exemplum laudabile multi principes ac
 magistratus, imprimis qui veræ religionis studio ac-
 censi pontificiam impietatem sapienter piéque da-
 mnaverant, de propriis suæ dignitatis negotiis cogi-
 tare, atque inter cætera de recta juventutis educatio-
 ne laborare cœperunt. Fuit in his *Amplissimus patriæ*
senatus postquam aurora evangelicæ veritatis, Deo
 dante, nobis postliminio quasi illuxit & veteris inscitix
 atque antiqui erroris reliquiæ depulsæ erant. Re
 proinde sollicitius deliberata, quòd *Deus Opt. Max. eccle-*
sie totique reipubl. salutare hucusq. esse voluit quòdque, ut
voveo, ad seros usque posteros eidem bonum, felix & faustum
deinceps esse velit, anno ab instaurata per Christum
 salute vigesimo octavo super sesquimillesimum scho-
 lam, seminarium pietatis, politiorum literarum & ar-
 tium aperuit, vocatis ad hunc ludum JOHANNE OL-
 DENBURGIO, optimarum artium Magistro, rectore, NI-
 COLAO BUSCODUCENSE itidem philos. Magistro, quo-
 dam IBERO, PETRO CANTORE, JOHANNE SIBKELOH &
 LUBERTO MEIERO, auditorium unum alterumque in
 cœnobio suo, ubi hodie secunda & tertia classes sunt,
 ultrò aperientibus monachis Dominicanis conventus
 S. Catharinæ, Magnifico urbis senatu cum ex ara-
 rio publico tum reditibus Xenodochii Gertrudis, (de-
 ferti jam à pontificiis peregrinantibus) sumtus neces-
 sarios suppeditante, auctos tamen non parùm collegii
 senio.



seniorum aliorumque bonorum annuâ beneficentiâ.
 Quibus omnibus curator & scholarcha præfectus est
 LUDERUS Hals/ civis primarius & locuples, in ordinem
 tamen senatorium ob rerum multarum usum & merita
 non multò post electus, vir integris annis quindecim
 de primitiis scholæ nostræ præclare meritis. Digna
 scilicet res erat, quæ civium omnium maximorum,
 medioximorum, infimorum sollicitos teneret animos;
 quippe à qua universa reipubl. tam ecclesiasticæ quàm
 civilis felicitas penderet. Scholæ quippe tanquam
 optimæ educationis officinæ non solum pietatis ac
 religionis fundamenta tradunt, quibus quisq; Deum
 suum salutariter & nosse & colere queat, sed & emittunt
 q̄s ex equo Trojano multos proceres doctrina ac virtute
 spectatos, è quibus princeps ille pastorum suis ecclesiis
 episcopos, suis ovibus pastores deligit, quorum ductu
 illæ salubriter pascuntur atque in loca à luporum
 grassatione & latrociniis tuta cogantur. Ut liquidum
 sit optabilem ecclesiæ, quem tum ex intimo cordis
 affectu majores desiderabant, successum esse scholæ
 bene constitutæ fructum; contrà verò religionis
 devastationem & populi Christiani eversionem esse
 scholæ aut neglectæ aut impiè constitutæ mercedem
 & lucrum. Schola insuper est, cui omnem felicitatem
 civilem respub. debet; in ea siquidem bonæ personant
 literæ, quæ, dici non potest,

quantum civibus omnibus ad bonorum morum studium conducant. Literæ ut affectus ad mediocritatem redigunt efficiuntque, ut à teneris annis ad omnes officii partes assueti bene imperantibus haud gravatè morem gerant, ita ingenium quoque acuunt roborantque. Verum illud verbum est, *Duplo plus videre & longè aliis perspicaciore ingenio esse, qui literas didicere.* Et eleganter Aristippus Crasso cuidam ac diviti roganti, quid utilitatis adolescenti allatura esset eruditio? *Vel illud, inquit, ne in theatro lapis lapidi infideat.* Incredibile denique dictu est, quàm schola viris principibus aliisque ad rerum publicarum gubernacula adstantibus pacis bellive tempore adjumento sit. Quemadmodum enim, cùm sol super terram non lucet, obscura & indiscreta sunt omnia; ita in animo principis nulla eruditione imbutò reipublicæ negotia confusa atque inordinata jacent omnia. Veterum inspicite monumenta, rerum ante nos gestarum historias evolvite & abunde constabit, quòd, ex quo principibus literarum virtus elanguit, armata quoque militiæ infirmata sit manus & ipsius principatus qs. excisa radix. Nunquam imperium Romanum meliori fortuna fuit, nunquam magis vixit aut floruit, quàm ubi honestæ artes ac disciplinæ in summa dignitate Romæ claruerunt. Nunquam Atheniensium respublica eoque suum attulisset fastigium, nisi, quod maximus sapien-

pientissimúsque author Livius refert, bellum non
 tam armis quàm literis verbisque adversus Philippum
 gessissent. Adeò semper rerum publicarum incremen-
 tum atque stabilitas secuta est sapientiæ studium, quò
 illæ alibi esse aut consistere non possent, nisi ubi literæ
 ipsæ fundamentum subtravissent. Hæc animo secum
 bene volutantes pii majores noluerunt tam ingenti
 thesauro semetipsos privare, aut ad perpetuas igno-
 rantia tenebras damnare, quod de quibusdam legi-
 mus Mitylenensium sociis à fœdere deficientibus,
 quos nullo alio supplicio aut mulcta afficere Mityle-
 nenses voluerunt, quàm ut ludos clauderent litera-
 rios, judiciorum hoc gravissimum existimantes, si
ἐν ἀποστὰ καὶ ἀποστὰ, verba sunt Æliani, in inscitia &
 ignorantia vitam transigere cogerentur. Hac propter
 non de sustentanda solùm, sed & augenda & in majus
 quotidie provehenda nova schola agere cœperunt.
 Produxerat tum inter eos, qui Romanas Græcâsque
 literas suæ dignitati restituerant, Hassia virum par no-
 bile, *Eobanum Hessum*, literatorem & poëtam summum,
 è viculo *Simsbusen* / parente quidem rusticano,
 mediocris tamen fortunæ, quippe qui *Plura prebenden-*
tem quàm centum jugera fundam, Fœcundos genitor solus
aravit agros, *Henricum seu Euricium Cordum*, medicum
 & poëtam suo conterraneo non inferiorem. Hic
Cordus in schola Marpurgenâ recens tum fundata
 C 3 magno



.117. di
diu diu

.117. dii

1526.



magno cum applausu docebat, sed invidiâ, bonorum & eruditorum plerumque comite, nescio cujus Solonis & complicum eum premi rumor erat. Excitavit Senatui nostro rigidior *Cordi* inter adversarios conditio animum tentandi per literas hominem ad professionem in Bremensi Lyceo suscipiendam; morem gessit vocationi vir præclarissimus atque docendi partes non sine ingenti utriusque partis lætitia aggressus est. Ipse sanè *Euricius* gratulatus sibi est, quòd æmulatorum machinis elapsus locum esset adeptus, ubi & commodè deinceps victitaret & honestissimè haberetur, id quod publicè testaturus hosce subsequentes in epigrammatum libris versiculos reliquit. Sic abitum suum excusaturus scribit Philippo Hassiæ Principi:

lib. XII,
sub init.

*Quenam me cogat te causa relinquere, quæris,
Quòd tibi dem culpæ, quòdque scholæ, nihil est,
Infestum fugio cum complice fece Solonem,
Væ misero, cui non fa-verit ille, viro.*

Idem ad Antonium Nigrum, quàm amicè, quàm honorificè à Bremensibus exceptus habitusque sit, hisce prodit:

lib. XII,

*Et placido cœpit me pia Brema sinu.
Quæ non vile supra mihi pacta salaria donum
Gratuitæque dedit commoda tecta domus.
Et, quo non ego me dignor, veneratur honore,
Inter primates dans residere suos.*

Quæ

*Quæ præter solitos ideo tibi jactito mores,
Hostis ut hac doleat sorte, crepētque meus,
Magnas invidia grates ego debeo, quæ me
Usque sua cupiens perdere juvit ope.*

Optaverant scilicet adversarii, Cordum duriscule
Bremæ in ultimis Saxoniae finibus habitum iri, sed
rem benignius cecidisse, dicto jam epigrammate aliis-
que latibundus prædicat: unum liceat addere, quod
& præclara poëtæ eruditio & amicissima, quæ cum
ipsis reipublicæ consulibus ipsi intercessit, innotescat
familiaritas: exstat illud in Epigrammatibus ad Jo-
hannem Lonicerum exaratum: lib. XII.

*In tanta quid barbaria frigente sub axe,
Amisos inter, Corde, rogas, quid agis?
Si nihil est aliud, saltem li-ventia corda
Et nimis insidum complicitium fugio.
Quanquam non adeo mihi barbaræ Brema videtur,
Imò non uno nomine grata placet.
Dives enim est populus, pia plebs prudensque senatus,
Qui bona tranquillæ fœdera pacis amat.
Et sincera tenens divini dogmata verbi,
Subiectos frenat jure & amore suos.
Nec sacra Phocaici desunt hic numina montis,
Mixtus in Aoniis ipse Visurgis aquis.
Incipiuntque novæ mentes splendescere cultu,
Totque facit celebres dexter Apollo viros,
Inter quos doctus leges Hoierus, & omni
Arte potens Vasmæ, sua vis & Esichius,*

Et

Et nitido præstans ut vultu, ita pectore *Trupus*
 (Invida *Chenchelium* fata tulere) micant.
 Insignes animæ, præclaræque nomina, qui me,
 Ceu rapidam flammam *Parthica naphtha*, trabunt.
 His me consolans, ego delectabor amicis,
 Hos nunc præsidium lætus habebō meum.

Ipse verò senatus populûsque *Bremensis* non minori
 ob consecutum tam celebrem professorem perfu-
 si sunt gaudio, idque sanè meritissimè. *Cordum*
 siquidem ob insignem in facultate medica eruditio-
 nem summa cum voluntate medici *Ferrarienses* suo
 ordini adscripserant titulos illi conferente *Nicolao*
Leoniceno, viro in re medica summo. Nec *Apolline-*
am artem solum professor academicus in illustri *Marp-*
purgensi, sed & jam antè poësin in *Lipsiensi* tradide-
 rat initio à *Bucolicis*, quæ evulgaverat, facto: quæ
 causa ipsi interim cum *Georgio Helto Forchemio*, *Joa-*
chimo Camerario, *Hermanno Buschio*, nobili *Westpha-*
lo, aliisque viris tum eruditissimis amicitiam concilia-
 vit. Quin & *Lipsiâ* discedens *Erphordiam* se contule-
 rat & aperto ludo literario academiam illam rara e-
 ruditione reddiderat celebriorem, vel ipso *Erasmo*
 in epistola ad *Cordum* data luculento teste. Po-
 tuit ergo *Brema* hoc doctore in scholæ suæ infantia
 ejusdem videre florentem ætatem, & in ipsa adhuc
 aurora clarum diem. Sed, quæ rerum caducarum
 fallax

l. s. Epi-
 stolat.

fallax est instabilitas, nec exoptato hoc hospitio *Euricius*, nec urbs tam præclaro cive diu frui potuit, dum absoluto vix triennio, postquam inclyto Bremensium Lyceo salutaribus consiliis &, quibus poterat modis, profuisset, in fata concessit, vir & meliore fortuna & longiore vita dignissimus, anno Christi superioris seculi trigesimo quinto, vigesimo quarto decembris. Elatus magno totius urbis cum luctu terræque mandatus ad B. Virginem, ubi lapidi sepulchrali ob suam, ut credo, parvitatem hæc nus immoto incisa hæc verba hodièque legimus:

EURICIUS CORDUS POETA INSIGNIS DOCTOR MEDICINÆ, CUI PATRIA ERAT HASSIA, RELIQUIT HIC CORPUS, SED ASTRA MENS TENET.

Scripta posteritati inter alia elucubravit hæc: *Botanologicon*, sive colloquium de herbis, quod unà cum *Valerii filii* annotationibus in *Dioscoridem* est recusum. Deinde *Nicandri Alexipharmacem & Theriacem* Latinis versibus heroicis expressit eleganter. Exstat & ejusdem *Judicium de herbis & medicamentis simplicibus*; de *Abusu uroscopie* conclusiones, earundem enarrationes adversus mendacissimos erroneos medicastro, qui imperitam plebeculam vana sua medicatione miserè bonis & vita spoliant; de *Sudore anglico*; de *Calculo*; de *Peste libelli & Paræneticum carmen ad Carolum V. imperatorem de vera religione amplectenda.* Epi- Marpurg
gram- 1527.

1614. *grammatum* item libri XIII. quos cum aliis opusculis poëticis Helmestadii edidit *Hemicus Meibomius*, qui vitam *Cordi* nostri operibus illius præfixam plenius descripsit ac Amplissimo viro, *Johanni Brandio*, reipubl. Brem. Consuli dicavit. Tam rara ergo fuit eruditio, tanta laus *Euricii Cordi* nostri, quæ sanè immensa fuisset, si filio *Valerio*, incomparabili juveni, absolvere id, quod uterque instituerat, licuisset. Est ille ipse *Valerius*, *Euricii* nostri filius, cujus celebris est illud *Dispensatorium*, de quo ejusque operibus nihil quicquam addam nisi subsequens epitaphium, quod legitur Romæ in æde d. Mariæ.

Laur.
Scrader.
l. 2. mo-
num. p.
145.

Valerio Cordo Simesusio Hesso, *Euricii* medici & poëtæ filio, integritate, moribus, ingenio, comitate præstantissimo, doctorum omnium admirationem merito, qui naturæ obscuritatem & herbarum vires adhuc adolescens senibus explicavit, cum expleri cognoscendi cupiditate non posset, perlustratâ Germaniâ Italiâ adiit; Venetiis in honore habitus, & Romam vix ingressus crudelissima febre inter amicorum lachrymas non recuperabili studiorum jactura florente ævo exstinguitur, anno ætatis suæ XXIX. homini optimè merito socii Germani pietatis ergò posuerunt, obiit anno salutis humanæ M D XLIX. VII. Cal. Octobris hora V. noctis.

Ingenio superest *Cordus*, mens ipsa recepta est
Cælo; quod terræ est, maxima Roma tenet.

Tumu-

Tumulum utriusque *Nathan Chytræus* hocce epicedio
ornavit :

Euricius Cordus, Valer I pater, inclutus ille

Et melicæ & medicæ, res patet, artis honor.

Post varia exilia, & non pauca pericula tandem

Sub lapide hoc veræ dona quietis habet.

Catta viro tellus patria est, gens Italia lauru m

Contulit; at clarum nomen in orbe libri.

Incola mens cœli curas jam spernit inanes,

Quas tam multiplices turbidus orbis habet.

Roma dedit nato tumulum, pia Brema parenti;

Quam procul à Tiberi est ripa visurgis, ais!

Est cœli, sed utrinque eadem, distantia: compos

Illius haut refert, quo mori are loco.

Hæc de *Euricio Cordo*, non quantum viri dignitas requirebat, sed temporis angustia patitur. Paria ipsi ferme fecit in schola nostra *M. NICOLAUS BUSCODUCENSIS*, supra jam inter ordinarios doctores nominatus, in signe scholæ decus & alter qs. oculus. Homo quippe non minus ingenii suavitate, quam literarum nitore conspicuus. Ob quæ ingenii dona ad eum orbi erudito innotuit, ut *Christiano III. Danorum & c. Rege* Haffniensem academiam erigente & viros erudite doctos undique ad docendi munia vocante inter regiones ibidem professores denominatus & honorificè ad pulcherrimam stationem vocatus sit anno ejus seculi trigesimo sexto. Meruit viri præstantia, ut paricum ipso rectore loco & salario, quamdiu hinc Brema docuit, muneraretur.

D 2

Cate-



Chron.
in anno
1536.

Cæterum, dum pietatis & artium fundamenta
 in ipsis scholæ initiis tam strenuè inculcantur, magni-
 ficus urbis senatus de favore & benedictione divina
 ex eo certus, quòd tam eximii sibi obtigissent docto-
 res, suis etiam deinceps partibus deesse noluit. Con-
 ficiuntur ergo publicæ & solennes scholæ foundationis
 tabulæ, quibus agnoscit senatus in præcipuis boni
 magistratus officiis esse, id curare, quo juvenus ad vi-
 tia pronior ab iisdem avocata atque ad optimarum
 artium virtutumque decus studiosè adducta ad glo-
 riam omnipotentis Dei, parentum familiæque sola-
 tium & vicinorum honestam de patria existimatio-
 nem educetur. Testaturque ideo se ante annos pau-
 culos ad publicæ rei commodum juventuti eruditos
 informatores præfecisse centumque aureæ monetæ
 florenos ex creditibus Xenodochii Gerthrudani scho-
 læ hoc Senatus consulto applicuisse, mandat
 denique dicti Xenodochii curatoribus, ut, non
 attenda cujuspiam contradictione, istam aureorum
 summam Scholarchis quotannis enumerent. Acta
 hæc sunt anno d. cl. l. XXXIV. Cura sanè pro li-
 berali juventutis educatione laude dignissima & mu-
 nificentia pro patriæ salute promovenda posteris
 nunquam satis prædicanda. Sed & alia se obtulit eo-
 dem anno occasio amplificandi scholastici negotii
 commoditates. Desertæ jam erant à civibus nostris
 & vi-

& vicinis Pontificiæ superstitiones & simul monachi nostri à liberalitate, quam hæcenus à suis experti erant; coacti ergo fuerunt ad sustentandum vitam sacræ suppellectilismaximam partem vendere, metuebantque reliquâ divenditâ paupertatem & mendicitatem, quam tamen professi publicè fuerant, amplissimo proinde senatui reliquum bonorum offerebant petentes anxie & instanter, sui & cœnobii ædificiorum ut curam & sustentationem in se susciperet. Annuit postulato æquissimo Senatus. Cessit fratrum conventus maximam monasterii partem novæ Senatus scholæ, suppellectilem, libros redditusque ceteros pactusque est vicissim certam singulis monachis marcarum quotannis summam, curam item & reparationem ædificiorum ad monasterium pertinentium. Transactioni interfuere ab altera parte *Bernhardus Schaubabr, Johan. Haveman, Arnoldus Eschius, Henricus Trupius*, senatores scholarchæ *Ludero Halso* adjuncti; ab altera verò ipse totus fratrum conventus, *Hermannus Feldbusius, prior, Petrus Juliacensis, Johannes Daventriensis, Dominicus Groninganus, Albertus Geskenius, Otto Feldbusius & Johannes Sartorius*. Superstes adhuc, sed absens tamen octavus erat *Fr. Lambertus*, conventioni tamen ille consensit, particeps factus annui à Senatu expensi redditus. Sic, Auditores, ex officina superstitionis schola pietatis evasit, ex desidiæ atque ignaviæ



ignaviæ stabulo diligentiae & industriæ domicilium, ex ignorantiae latibulo disciplinarum asyllum. In quo antea monachi cuticulam curabant, in eo jam juventutis ingenia; in quo illi effœtum corpus, in eo hi animi vires reficiunt; in quo ætatem illi in quiete & remissione collocassent, in eo adolescentes vitæ cursum honesto animi labore conficiunt. Aperuere monachi ex pacto inter alia conclavia etiam hybernum rectorium, adaptatum eodem statim anno classibus duabus, quæ hodie quarta & quinta sunt, laborésque scholastici fervidè, Deo propitiùs annuente, peracti. Equidem non fuit quorundam collegarum diuturna in statione permansio, ut fieri in tenui solarario solet, aliis tamen abeuntibus è vestigio substituti sunt alii, quorum recitatione nominum aures vestras jam non delassabimus, duos tamen hîc nolumus præteritos, ob insignem scholæ ecclesiæque per annos plurimos navatam operam: alter est ANTONIUS GREVENSTEIN^{burg} Bremensis, qui ab anno cl^o l^o XXXIII, ad annum XLIV. in schola, inde ad annum usque LXXI. in æde Mariæ Deo ministravit, neque tamen hisce sui presbyterii annis operam scholæ subtraxit, sed necessitate id postulante, alterum qs. humerum scholasticæ ferendæ moli supposuit. Is ipse, qui solus & primus inter Bremenses ministros cum D. Hardenbergio



bergio Johannis Timanni ad S. Martinum concionatoris fabulis ubique tisticis contradixit. Alter est HERMANNUS WINCKELIUS gentis inter Bremanos non incelebris, ob id præcipuè itidem nominandus, quòd annos quadraginta & tres integros juventuti fideliter educandæ impenderit.

Sed, ut navem hinc promoveamus, hæcenus ad consistentiam ac quandam soliditatem rationes scholasticas reduxerat *Luderus Halsius*, Scholarcha, uti non sine immortalis laude, ita nec sine magna laboris experta difficultate; quocirca exemptionem ab inspectione & cura scholastica petentem, prævia gratiarum promerita actione, amplissimus senatus demisit devoluto sub initium anni clo lo LIV, quo Halsius demortuus. scholarchatu in DANIELEM BURENIUM SECUNDUM, consulem ob res in patriam præclare gestas etiam exteris clarissimum, & CHRISTOPHORUM COCCIUM senatorem, utrumque tamen exacto biennio honorificè itidem dimissum. Sed & ipsum moderamen navis scholasticæ, quod magnà industriæ & innocentiae famâ tenuerat annos XVI. *Johannes Oldenburgius* primus Rector, alterius manui commisit. Fuit ille *CHRISTIANVS STELLA*, Frisius, opt. artium Magister, adeoque ludi reipubl. Bremensis moderator secundus. Quæ resignationis causa, non constat; absit tamen, ut suspicemur, vel ob ruditatem vel negligentiam ab officio

mortuus
ann. 1582.





Chr.



Jo. Cob.



Chr. Warn



H. ab Huda



Christ.



Chr. Wib

officio hominem remotum, qui integros XXIV. quos
 superstitavit ultra annos rectorum succedentium fi-
 dus comes ac solers collaborator exstitit, non ordina-
 rio solum, sed & lautiori saepe praemio ob industriam
 ad finem vitae donatus. Christianus hic Stella inter
 alios collegas praeter jam laudatos Job. Oldenburgium
 in rectoratu antecessorem, Antonium Grevenstein &
 Hermannum VVinkelium, habuit JOHANNEM COBUR-
 GENSEM, JACOBVM GREVENSTEIN, CHRISTIANVM
 VVARNEKEN & tres sibi succedentes Cantores, HER-
 MANNVM AB HYDA, CHRISTIANVM quendam & CON-
 RADVM VVITHIVM Hervordiensem. Equibus Jaco-
 bus Grevensteinus ob ingenii & eruditionis dotes ad
 ambonem in aede s. Stephani promotus post obitum,
 qui incidit in annum cl. lo LXXXII. hoc epitaphium
 promeruit:

*Hic recubat placide doctus Jacobus in urna,
 Qui pius hac sancta Pastor in aede fuit.
 Hujus magna viri pietas, prudentia & acere
 Judicium in causis religionis erat.*

Cæterum, dum hi Spartam, quam nacti erant, om-
 ni contentione ornant, Senatus non levioribus
 curis de re scholæ augenda distentus nihil quicquam
 intentatum reliquit, unde ejusdem rationibus hone-
 sté posset consulere; Symmachi istius optimè me-
 mor;

mor; *Bonas artes, in quibus, honore nutriri atque hoc specimen esse florentis reipubl., ut disciplinarum professoribus præmia opulenta tradantur.* Ex prima jam institutione incubuisse canonicis scholarum etiam curam, verbis cum aliorum tum Caroli M, qui collegia isthæc in Saxonia primus fundaverat, percepimus supra: optima consuetudo in desuetudinem venerat: cultus supersticiosus Pontificius jam cessabat, nec quicquam amplius aut curæ aut laboris canonicos nostros districtos tenebat. Indignum hoc rati, magistratu urbis monente, ipsi canonici Stephiani cum amplissimo senatu amicè convenerunt; primùm, ut nemini beneficium seu præbenda deinceps conferatur, nisi qui bonis operam daret literis & quo de spes esset, posse ecclesiæ aliquando publicoque inservire bono. Deinde ut mensibus, quos vocant, papalibus, ejurato jam Romanæ curiæ dominatu, senatui beneficia conferendi sola potestas esset; denique, ne quisquam in sinum collegii reciperetur, nisi, senatu conferente, capitulum confirmasset, aut hoc conferente, senatus; eam unicè ob causam, quò bona ecclesiastica rite, piè, religioni Christianæ ac primævæ institutioni convenienter, id est, in ecclesiæ & reipublicæ salutem impenderetur. Transacta hæc sunt anno à nato Servatore clo lo XLV; & subsequenti statim *Christiano Stelle* rectori primùm vacantem sibi que competentem canonicatum senatus



solenniter contulit, non levi onere in tot doctoribus
 ærarii potissimum sumtibus sustinendis levatus. Ea-
 dem ductus pia sollicitudine per novos Scholarchas,
 JOHANNEM HAVEMANNUM & GOTTSCHALCUM WOL-
 FIUM, ordinis senatorii viros, transgere cum duobus
 rum superstitis monachis Franciscanis conventus
 S. Johannis, GERHARDO Langhahr / Guardiano, &
 fratre HERMANNO Schutteker / ut in pios usus cœno-
 bium ad solitudinem & ruinam tantum non reda-
 ctum, suppellectilia & bona senatu cederent, senatus
 vicissim certam argenti summam ad vitam honestè
 sustentandam quotannis monachis redderet commo-
 damque monasterii partem ad vitæ usque finem in-
 habitandam relinqueret. Acta hæc primo scholar-
 chatus illorum anno, qui quadragesimus sextus fuit
 post millesimum & quingentesimum, & solennibus in
 sequenti anno tabulis confirmata. Factum tamen
 ipsum cœnobium est pauperum receptaculum, ut
 quemadmodum in altero anime, sic hic corporis cibus
 indigentibus suppeditaretur, pars verò sacrorum va-
 lorum sortem scholæ auxit, ut eadem occasione pre-
 cium divenditæ lanæ ex præda *Francisci Bômii*, famosi
 piratæ adhuc reliquæ & in cœnobio asservatæ. In-
 fata quoque concesserat ex dominicanis nostris *Petrus*
Juliacensis; reliquerat avarus monachus mediocrem
 pecuniæ summam contra pacta à se possessam, à fra-
 tre

tre verò *Alberto* eadem fraude occultatam, sed & tandem arte quadam expressam *Gottsebalcus Wolffius* redditibus scholasticis adjecit. Quoad cætera etiam optimè de republ. scholastica promeritus est idem *Wolffius*. Quare quadriennali scholarchatu defunctus, postquam scholæ ædificia obsidentium hostium globis perforata instaurasset & claustrum pergulam in peculiarem pro elementaribus pueris classem adaptasset, *ARNOLDO STEDINGIO*, viro nobili & senatori, novo tum à senatu nominato Scholarchæ, collegæ suo non sine incremento sortem scholasticam administrandam tradidit sub finem anni superioris seculi XLIX. Sed ne unquam scholæ suæ curam deposuisse videretur senatus, scholæ foundationem biennio post confirmat litésque, quas hæctenus scholæ Ephori cum præfectis pauperum cœnobii S. Johannis foverant, sopitæ, certis redditibus ex Xenodochio Gertrudano derivatis, quibus nimis liberaliter pauperum curatores involaverant, Scholarchis adscriptis, restitutis verò monasterio S. Johannis ædificiis omnibus, quæ antiquitus ad illud pertinuissent. Quin & novo insuper munere scholam cumulavit, dum sterilem hæctenus & arenosum fundum ante portam orientalem circa radices montis abbatix S. Pauli colonis quibusdam excolendum dedit, annuo precio exinde proveniente itidem scholæ dicato.



274

1551.

1552.

Cum verò in hisce omnibus tum imprimis im-
 mortali laude condecorandi sunt reipubl. proceres,
 quòd, quæ majores multa & preciosa pro sua pietate
 ad ecclesiæ subsidium & religionis conservationem
 contulerant, temporum autem inscitia ad gravem ec-
 clesiæ pestem conversa erant, ad euangelii conserva-
 tionem & scholæ restitutionem revocarint. Id enim
 egere, quod jura & divina & humana efflagitant.
 Nam magistratus Dei vicarius est & ecclesiæ alumnus.
 Quare omnia, quæ ad primæ & secundæ tabulæ con-
 servationem aliquid momenti afferunt, amplecti &
 defendere ipsum decet, & his pugnantia & inimica
 adversari atque depellere. Tum legum civilium au-
 thoritate magistratui hoc negotii datum, ut legata in
 usum neque licitum neque pium data, in eum, qui rei-
 publ. salutaris & testatoris voluntati consentaneus vi-
 deretur, sine ulla illorum diminutione converteret. Ut
 proinde non paulò melius sapientissimus urbis Sena-
 tus de ecclesia promeritus sit, qui facultates Augiæ q̄s.
 stabulo indignè servientes ad ministerium verbi & san-
 ctam teneræ ætatis educationem transtulit; quam illi,
 qui amore religionis & studio pietatis adducti, olim
 tantas pecunias ad usum verbi & literarum cultum,
 sive de suo sive de publico contulerunt; quòd hæc li-
 beralitas, si pia illa legatorum translatio non accesserit,
 reipubl. Christianæ non aliquem fructum & salu-
 tem,

tem, sed calamitatem ac perniciem attulisset. Et patet
 adeò magistratus nostri piam prudentiam quàm vete-
 rum cœcam liberalitatem majore & laude & honore
 dignam esse. Ut autem excellentis est ingenii & anti-
 quæ probitatis in his bonis ab impietate vindicandis &
 ecclesiæ restituendis integrè & innocenter versari;
 ita immanis sacrilegii & detestandæ rapacitatis ex il-
 lis vel minimam particulam aut sibi per avaritiam su-
 mere aut suis aspergere, quæ ecclesiæ ministris scho-
 lisque atque literis, quibus ecclesiæ salus continetur,
 solum servire, pium & sanctum. Neque ullum aut
 furti aut sacrilegii genus est vel infamiâ majus vel tur-
 pidine contaminatius, quàm ecclesiam spoliari & bo-
 na illius diripi. Nam alia malefacta tantò minora
 sunt, quantò leviùs hominem quàm Deum ipsum
 perdere velle. Indignum proinde & polteris omni-
 bus detestandum commisit facinus *Dionysius Siculus*,
 monstrum principis, qui fanum Proserpinæ apud Lo-
 cros expilavit, imò de facinore adeò sibi placuit, ut se-
 cundo vento Syracusas devehens ad suos ridendo di-
 xerit: *Videtis, commitiones, quàm bona navigatio sacrile-
 gis à Diis immortalibus detur?* Idem, cum Jovi Olympio
 aureum amiculum grandi pondere detraxisset, ei la-
 neum hac cavillatione injecit; *Aureum amiculum æsta-
 te grave, hyeme frigidum esse: laneum autem ad utrumque*

tempus aptius. Ita nebulo apertè atque securè se tantis sceleribus constringebat, ut eam rem non aliquo supplicio, sed i. u. & joco dignam esse ostenderet. Paulò excusatiùs Q. Flavius Flaccus in censura tegulas marmoreas ex Junonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ equestris, quam Romæ faciebat, atque ad eò res sacras ad profanos usus transtulit; sed pòst mente nunquam constitit, imò verò per summam animi ægritudinem expiravit. Cujus casu motus senatus tegulas ilico reporrandas curavit. Tantum potuit in hominibus ethnicis rei sacræ ad profanos usus translatio. Si qui antiquitus ampli fuere reditus iis, qui tanquam principes integræ diœcesi præfesi fuerunt, maneat illi eorundem in regimine successoribus; at qui eorum fuere, qui quotidie ecclesiis ac scholis inservire, maneat & eidem illis, qui hodie Deo in ecclesia scholæve serviunt. Si auferas, id certum est, neque religionis interpretes neque literarum professores ali posse futurumque, ut divina illa munera, verbi ministerium & artium studium omnium opinione citiùs de republica tollantur. Quapropter sapientissimus Senatus hujus rei publicæ graviter hoc sacrilegium detestatus est nihilque ipsis tam studio fuit, quàm ecclesiæ suas fortunas atque copias conservare, atque hac ratione piè laborarunt, ut religio apud nos staret, literarum

rum studia vigerent, omnia denique divina & humana jura salva essent. Atque optandum nobis unicè, ut data omni occasione majorum suorum nunquam satis laudandis vestigiis insistat & in posterum senatus, nec ullis rationum aut lucri lenociniis à pio more se abduci patiat; ita fiet, ut, quemadmodum alibi, cum ecclesiæ tum scholæ expilatae suisque subsidiis nudatae conciderunt; ita ecclesiæ nostræ evangelii sacris, scholæ literarum studiis & omnia virtutis accessione indies magis ac magis decorentur & efflorescant.

Sed in viam redeundum est; labente anno LIII, scholæ præfectura egregiè functis *Gottschalco Wolfio* & *Arnoldo Stedingio* successores dantur *DETHMARIUS KENCKELIUS* (consulari dignitate anno subsequente auctus) *HENRICUS STARKIUS* & *HERMANNUS VASMARUS* è senatorum ordine; ipso tamen solo *Kenckelio* ad annos VIII, rem scholasticam administrante. Quo temporis spacio, utut insigne aliquod augmentum ærario scholastico non accesserit, factum tamen rectumque sollicitudine ephorum illud permansit; *Nec enim minor est virtus quam querere parva tueri*; insuper non levi onere illud liberatum est obitu monachorum dominicanorum, scholæ hætenus reditibus sustentatorum, *Alberto* ultimo eorundem mortalitatem explete autumno

anni





1550.
24. Jan.



anni LV. At non leve simul vulnus scholæ paulò
 pòst inflictum est pio ex hac vita decessu viri eximii
Christiani Stelle, scholastici gregis hætenus ducis &
 moderatoris fidelissimi, atque eo quidem nocentiùs,
 quòd non constaret de idoneo successore. Actum
 tamen per Scholarchas de scholastico suscipiendore-
 gimine cum quodam *Christiano Slebingio*, Silesio, ineun-
 te anno proximo (quantum colligere licet è colloquio
 cum *Molano* jam tum Bremæ degente habito), Lati-
 nè apprimè docto. Aggressus est ergo provinciam
CHRISTIANVS SLEBINGIVS Rector scholæ Brem. ter-
 tius & ecclesiæ collegiatæ Stephanianæ canonicus,
 collegis adjunctus extraordinariis, *Johanne Oldenburgio*
 quondam scholæ rectore, *Antonio Grevenstenio* eccle-
 siaste, & *Johanne Molano* Flandro; ordinariis verò
Hermanno VVinkelio, *Jacobo Grevensteinio*, *HERMAN-*
NO VVYGT, *CONRADO* cantore, *JOHANNÉ BO-*
KELMANNO, & aliis quibusdam puerorum ele-
 mentarium præceptoribus, qui, quòd operam su-
 am exiguo solum tempore scholæ navarint, nomi-
 nari vix promeruerunt. Cæterùm *Slebingius* hic, sive
 stationem alia commodiore mutaturus, sive con-
 troversix theologicæ de ubiuerate, quam *Johannes*
Timannus, pastor Martinianus, publicè clò lo LV.
 edito libro, *Farrago sententiarum &c.*, inscripto, move-
 rat,

rat, turbas averfaturus post biennium hinc abiit. ^{1558. f. patch.}
 Condixerat interea in fucceffionem quidam *professor*
Roftochienfis, fed à fuis detentus eft; quò tamen pro-
 miffis aliqua faltem ex parte ftaret, miffit *DAVIDEM*
ZIEGENHAGIUM, Phil. doctorem, non incelebris famæ
 virum. Acquievit Senatus & Ziegenhagium, ordine
 rectorem quartum & canonicum Stephanianum,
 Slebingio ftatim fuffecit. Cooperatores in vinea fua
 habuit plerofque ex jam nominatis, quibus acceffere
M. NICOLAUS STROCRANTZIUS conrector, *JOHANNES*
LOVVE & *HENRICUS ANKEMANNUS*. Sed dilabimur hic
 in ea tempora, ubi controverfia de ubiquetate & mo-
 dopræfentia corporis Chrifti in cœna inter *Timannum*,
 cui plerique ecclefia miniftri adhærebant, & *D. Alber-*
tum Rizæum Hardenbergium, *Bafilicæ* ædis concionato-
 rem, in flammam erupta non ecclefiam folùm, fed u-
 niverfam rempubl. quin & fcholam arrofuit. Exarfe-
 rat tum magiftratus inftinctu concionatorum ad *Al-*
bertum pellendum, at in fubitò mutata rerum facie hi
 ipfi partim coacti partim fua voluntate urbe cefferunt
 unâ cum tribus confulibus & magno numero feno-
 rum; quos inter *Johannes Havemannus* erat ab anno
 LXI. fcholarcha poftquam rationes fcholaflicas fra-
 tri *Francifco*, civi ac patricio, commendaffet. Hos & *Re-*
ctor David Ziegenhagius deferta pulcherrima condi-
 tione unâ cum *Strocranzio* conrectore & plerifque col-
 legis



legis non sine importunitate dimissionem petentibus
secutus est. Sic ergo ecclipsin q̄s. cum ceteris reipubl.
ordinibus passa est & schola nostra, brevi tamen post
ex tenebris eluctata pristinum recuperavit splendo-
rem.

Emensi sumus, Auditores omnium dignitatum
atque ordinum spectatissimi, magnum maris nobis
trajiciendi partem, sed major adhuc superest & ve-
remur ne sol favoris & attentionis vestrae prius occidat,
quam navis orationis nostrae portum subierit. Omni
propterea contentione rogamus, ut metam attingere
hodie nequeuntibus, aliquam tamen provehere adhuc
conantibus, adesse & vestrae attentionis cursum paulis-
per retardare ne dedignemini. Ut sol deliquium pas-
sus, remotam lunam, longè splendidior oculis mortalium se
ingerit, sic scholae ex ecclipsi, quam patiebatur, longè
eminentior facies emerfit, senatu mandante HERMAN-
NO VASMARO Consuli, denuò scholarchae denomina-
to, & CHRISTIANO STEDINGIO senatori novo scholar-
chae, ne, quicquam quod ad scholam, tanquam pietatis
officinam imò publicae felicitatis munimentum, in-
staurandum amplificandumque faceret, intermitte-
rent. Praeclare functi sunt mandato optimi scholae cu-
ratores. Rationes pensionum ac reddituum annuorum
scholasticorum in ordinem redigunt, scholae prorecto-
raturam, donec auxilio divino de rectore prospicerent,

clō 13
LXII.
sept.



Lam. H.

Lau-

LAURENTIO HASSO tradunt, *Johanni Sloengrabo*, Ansgar-
 riano canonico, Marpurgum negotiorum suorum
 causâ proficiscenti injungunt, unum alterumve dida-
 clicum secum ut adducat, HENRICUM OLDENBURGIUM
 primarium collegam nominant, ad labores & salari-
 um pristinum *Hermannum Vinckelium*, *Johannem Lo-
 vvenum* & *Henricum Ankemannum* revocant, cantorem
 JOHANNEM RISTEDIUM nominant, Dum hæc aguntur
 Marpurgo secum *Sloengrabi* redux adducit ERHAR-
 DUM GROSSENIUM, M. JUSTUM BUDÆUM & M. JOH.
 SCARFENRADIUM, viros non vulgariter eruditos, quos
 senatus liberaliter exceptos jam nominatis adjunxit.
 Nec deerat quid scholæ ex voto jam constitutæ; nihi-
 lominus tamen JOHANNES ab EVVICH Med. doctor ac
 reipubl. physicus, ipsæque JOH. SLOENGRABIUS partes
 docendi in suprema pædagogeî curiâ ultroneè susci-
 piunt. Zelus profectò pro juventutis educatione lau-
 dabilis & non facillè sine dignitatis diminutione hodie
 imitandus. Interea senatus vocatoriis literis aliquoties
 repetitis Dysburgo ad scholæ moderamen sollicitat
 JOHANNEM MOLANUM, virum scholarum bono natum;
 monstraverat hunc ipsum digito q̄s. Deus, summus ille
 scholarum curator, Bremensibus jam antè expertis
 per integrum sexennium viri in informanda juventu-
 te incredibilem dexteritatem atque assiduitatem. Ac
 ne hinc sine ulteriore *Molani* mentione abeamus, na-





Justis.
Lugd.
Batav.

rus ille est *Neuenkerke*, pago Flandriæ ignobili, inde in scholam vicinam trivialem ac post celeberrimam *Lo- vaniensem* academiam missus ad eò se modestum & industrium præbuit, ut, postquam integrum Aristotelis organon Græcâ linguâ memoriter, quatuor doctoribus præsentibus, recitasset, magisterii honores & juventutis academicæ informandæ privilegia adeptus sit. Dehinc *Disthemien* scholæ decennialis rector cum laude præfuit. Sed, cum epigrammate quodam quendam pontificium errorem nimis liberè perstrinxisset, suspectus hæreleos, id est, reformatæ confessionis, ad decanum *Roto* nacensem, hæreticæ pravitatis, ut homine pravissimi vocant, inquisitorem delatus est, cujus tamen emanibus amici cujusdam fabri ædibus abditus evasit. At *Gandavi*, Flandriæ Metropoli, publica præconis voce hæreticus proclamatus ac finibus Hispanicæ ditionis proscripius *Bremam*, tanquam ad commune *Belgarum* ob orthodoxiam profligatorum, aut *Babylone* ultrò exeuntium, asylum profugit anno superioris seculi LIII. magno patriæ nostræ commodo, de quo eleganter *Elychius* nostrâs:

Brema tuo quanto animosa bono!
Scilicet ut populis, cum sol his occidit, illis
Surgit, & umbram aliis, lumina fert aliis.
Sic quando, ô ingrata tuus tibi Flandria Phœbus
Occiderat, Bremæ lucem animamque dedit.

Rece-

Receptus est à Bremensibus lubentissimè, sustentatus quorundam juvenum nobilium Flandrorum exilii sociorum, quos privatim docebat, liberalitate. Simulatque tamen virtus & eruditio novi incolæ senatui innotuit immunitate à civicis oneribus, commoda habitatione è monachorum capitolio, hodie *prima classe*, aptata ac triginta quotannis aureis donatus est; ipse vicissim, ne ingratus hospes esset, scholam reipublicæ una lectione eaque Græca quotidie juvit. Bis quidem tamen rectoris locus vacabat demortuo *Stella* ac *Stebingio* discedente, sed partibus Hardenbergii addictus & quòd cum verbi ministris ipsi facta gratia non erat ad clavum scholæ, dignissimus alioquin omnium iudicio gubernator, admitti non potuit. Interea tam charus fuit inclyto magistratui, quàm qui charissimus. Ipse *Kenkelius* consul & scholarcha, utut adversæ partis in negotio religionis studiosissimus, magno hominem loco habuit & ad ordinariam Duysburgensis scholæ stationem vocatum, quòd exiguo precio sexennium scholæ nostræ diligentissimè inserviisset, ut ipse scribit consul, non sine honorifico viatico dimisit. *Duysburgensis* scholæ collega, & post vicem rectoris fuit quartum in annum. Senatûs literis revocatus vix à novo locero *Gerbardo Mercatore*, viro Clarissimo, à quo illuc pellectus erat, ex loco licet ignobiliori retrahi potuit. Persuasus tandem veterum ami-

Molanus
Epistola
ad M.
Petrum
de Smet.
1557.
scripta.

1559.

corum, imprimis *Herberti à Langen* /ædis summæ Canonici, & *Danielis à Buren* /consulis, iteratis literis Bremam rediit anno clo 15 L XIII. & regimen scholasticum quintus ordine Rector bono cum Deo aggressus est. Initium ab optima scholæ constitutione & introducendis pietatis studiis fecit, opusculi editis *de Rudimentis Christianæ pietatis, Institutione & disciplina Scholæ Bremensis & Erotematis scholasticis*. Pietas videlicet & timor Dei caput est & initium omnis sapientiæ. Pietati proinde primas dedit. Pietatem spirant omnes, quas magno numero tersissimè scriptas reliquit, *epistole*, quanquam non editæ. Nihil ipsi antiquius erat, ubi extra scholam exspaciari datum erat, quàm Belgas quàm nobiles quàm eruditos ex jugo Pontificio, sub quo gemebant, ad se & libertatem conscientia evocare & in veritatis tramite stabilire. Quod ad cætera attinet omne suum studium, cogitationes, vires facultatèsque in una juventute dextrè informanda locavit ad vitæ finem semper sibi similis. Et *custodem* se inde puerorum sapius, quàm scholæ *rectorem* ad viros scribens eruditos nominavit, idea & exemplar boni & præceptoris & scholæ moderatoris. Quocirca ex ejus ludo exière viri longè eruditissimi clarissimique; in quibus sunt *Albertus Clampus* J Crux eximius ac aulæ Guelphicæ pro cancellarius, poëta & *literator maximus*. *Johannes Brandius* reip. Brem. Consul,

Bremæ
ap. Ger-
hardum
Dave-
mannum
1563.

ful, literis quâ Græcis quâ Latinis undiquaque tin-
ctus. *Arnoldus Clapmarius*, opere de arcanis rerumpu-
blicarum edito celeberrimus, alii permulti & , quem
singulari amore complexus est, *Henricus Krestingius*,
J. U. D. Consiliarius electoralis Palatinus & post Reip-
atriæ Consul. Docet id epigramma hoc paucis ante
obitum mensibus Krestingio dilecto filio suo scriptum.

*Viribus ingenii pollet Krestingius, agétque
In studiis placidum nequaquam inglorius ævum.
Hunc puerum Mylii vigilans industria finxit,
Attamen hic Mylio faciet majorem magistro.
Hic juris nodos & legum enigmata solvet,
Hic viduam matrem puerosque tuebitur orbos.
Justitiæ magis hunc, quam juris cura movebit,
Hic libertatis vindex acerrimus, olim
Judicio absolvet justos, vexabit iniquos.*

Severior quidem paulò visus est vulgo hic noster My-
lius & inde tyrannus dictus, sed calumniam odiâque
contempsit seque tyrannum ideò appellari, quòd ho-
stis esset acerrimus ejus, quam ignavia & depravati af-
fectus in juventutem exercent, tyrannidis, demonstra-
vit carmine apologetico contra ataxian eruditè ela-
borato, inscripto, *Discipline jam ferme morientis queri-
monia*, hac subscripta clausula: *Testificatio conscientie*
coram Deo, cujus gratiâ cum simplicitate cordis in schola ver-
satus sum hætenus. Decet severitas fidum præcepto-
rem, non lævitia; docet experientia demonstratque

Bremæ,
apud Ar-
noldum
Wesselum
1580.

siuq.

solli-

solidissimè, frustra sudari in informanda juventute,
 nisi mixta sit humanitati accurata severitas. Acci-
 dit quidem rigor juventuti acerbiùs, brevitamen,
 quicquid est amaritiei abcedit, manente eo, quod pul-
 chrum quòdque gloriosum est. *Eruditionis & virtutis*
radix, habet vulgatum illud, amara est, sed fructus dulcis.
 Sed nolumus meritis Molani enumerandis diutius in-
 hærere. Id certum est, magnam solidioris informa-
 tionis ac boni ordinis, quæ adhuc apud nos vigent,
 partem per *Uchtemannum*, *Pomershemium* ac *Stenium*,
 de quibus paulò post, propagatam uni Molano debe-
 ri. Sed claudant promeritarum Molani laudum a-
 gmen *Johannes & Theodorus Esychius* fratres, patricii
 Bremenses, in *justis Molano factis & Lugduni Batavo-*
rum exculis ad Amplissimum Senaturn nostrum hæc
de Molano proferentes: Ille est, qui in urbem vestram a-
dolescentes omnium nationum linguarumque induxit: qui ve-
stram juventutem pietatis & sapientie præceptis abundantem
faciliorem vobis, humaniorem, obsequentiore reddidit: qui
vestrum nomen apud longinquas provincias, quum ex ejus
schola doctissimi adolescentes ad omnes nationes regrederen-
tur, celeberrimum, nobilissimum, florentissimum effecit, &c.
 Sed vitæ, laborum scholasticorum & pugnæ cum a-
 taxia perpetuæ sator animam creatori avidè reddi-
 dit anno dñi LXXXIII, postquam XX annos scholæ
 Bremensi præfuisset, Meritissimum de se & universa
 patria

patria hoc carmine inter alia profecutus est Johannes
Efychius :

Bremanæ vestro subducite Mausoleum

Verè parenti: haut corporis

Verùm animi, tantò mens, quanto est corpore major

Sublimiori patribus.

Huic vos æternum subducite Mausoleum,

Sempèrque id intuemini.

Cur? ut permaneant memori sub mente reposta

Monita Molani, & integra

Relligio, quam vos docuit, cum condere soles

Cantando vobiscum senex

Assuerat; numerisque orare cadentibus ultrò,

Certans disertus Tullio.

Huic Bremani altum subducite Mausoleum,

Sempèrque id intuemini.

Hoc uno ò felix mea Brema, quòd ossa parentis

Habes, recondis, æstimas.

Idem eidem hoc scripsit epitaphium,

P. M.

JOHANNIS MOLANNI FLANDRI,
RECTORIS SCHOLÆ, THEOLOGI, QUI NIL-
LAM UNQUAM VITAM EXTRA SCHO-
LAM PIITAVIT,

JOHANNES ESYCHIUS

PRÆCEPTORIS OPTIME DE SE MERITI,
QUOD ANTE QUINQUENNIIUM SCHOLA
PESTE VASTATA, IS SIBI IMPERARAT,
POSUIT CUM LACHRYMIS
FATIS PERACTIS

G

A. CHRI-



Primus lapis
sepulchralis, ubi
intravi janua
templi septentri-
onalium, & gît
Molani ossa.

ad p. 53.



Dav. Po. mer. d. n. g.
ad p. 53

A. CHRISTIANO clō Iō XXIII. XVI. KAL. AU-
GUSTI stylo vet.
HORA V. POMERIDIANA, CUM SCHOLÆ
APUD BREMENSES ANNOS XX PRÆFU-
ISSET.

Atque hi fuere labores *Johannis Molani*. Quiescat
beatæ vir memoria; & nos hîc filebimus, modò duo
subjunxerimus epitaphia ab eodem ut amicorum ter-
tio scripta; alterum *Alberto Rizæo Hardenbergio D.* &
hîc summæ ædis, postea cœtus Emdani, ut orthodo-
xo sic famigeratissimo Concionatori a. clō Iō LXXIV.
alterum *Herberto à Langen* / generoso equiti, ma-
gno orthodoxias zelotæ & Alberti parastatæ anno
clō Iō LXXVIII. utrique Emdæ inhumato. Prius est

*Alberti Doctoris habes hîc ossa, Viator,
Hîc Hardenbergi nobile funus habes.
Inclytus antistes doctrinæ pulvis & umbra est.
Germanæ gentis lux, sine luce jacet.*

*Hunc juvenem SORBONA Brabantica magna so-
nantem*

*Audiit infrendens: & stupefacta stetit.
Scilicet ut fulvum censemus ab ungue Leonem,
Sic animi speciem prima juvenia dedit,
Deinde vir explorare viros aggressus: in albo
Doctorum eminuit primaque puncta tulit.
Hunc coluit pius à LASCO, Bucerus amavit,
Et tua Rizæus cura, PHILIPPE, fuit.
Ipse pater LUTHERUS eum tot dotibus auctum
Suscipiens: En hic alter ego (inquit) erit.*

Quim-

Quinque sacris operans Hermannus PRÆSUL;
a vita

Electo
Colon.

Fundaret solidum religionis opus:
Ille huic imposita firmans precordia dextra,
Vade (ait) & CHRISTO præside magna gere.
Dura tibi præstant certamina, concipe robur:
Multa tibi angusti plena doloris erunt.

Ivit, & oppositos tulit alta mente labores.
Immersusque malis, clarior emicuit.
Disrupitque hostis laqueos, CHRISTI que quietum
Manda vit populis imposuitque jugum.

Mox hunc Christophorus, Comes in victis armis,
Induxit templis, inclyta BREMA, tuis,
Illic Caucasæ volucres (gens dira) cruentis
Magnificum rostris comminuere virum.

Donec in exsilium urbs ingrata reliquit euntem,
Sæpe professa Patrem; non habitura parem.
Excepit pulsum COMES, & dum Fata tulerunt:
Officiis fa vit, proque Parente fuit.

EMDA Laborantis veri stabilissima Nutrix:
Hospitium fracto, & iusta, scrobemque dedit.
At tu olim larvis nimium confisa dolosis,
Hei mihi, ne ossa quidem BREMA parentis habes.
Sancta tibi tamen in venis doctrina vigebit:
Quodque inte cæpit, non morietur opus.

Posterius ita habet.

Herbertusne à Langen/avorum stemmate magnus
Sed laude fidei major, heic indormiit,
Nonne hunc Albertus sæpe inter iurgia Bræmæ,
Stabilem patrum oppressus habuit & patrem

G 2

Inter



Joh. Dohannig



Joh. Clapmarig



Conrad
Smaltig

In ecno-
bio Ra-
sted.



Jodoe

Hoffmeister

*Inter se memini complexos, largiter ora
 Rigare fletum, Et amore colliquescere.
 Quantus amor, quo casta virum ligat aurea compar;
 Tanta pietas jugarat inclytos viros.
 Zelantes Dominum, magnisque doloribus ustos
 Nunc mors prope uno reposuit lectulo
 Ne fors distraheret fati, duo lumina, quorum
 Animos fideles vita non distraxerat.*

Collaboratores ille habuit, LAURENTIUM HESSUM
 ex Prorectore Conrectorem, obiit hic post annos
 XV adhuc in schola tritos. Marpurgensium duo in
 patriam post biennalem functionem dimissi. Ter-
 tius Scharffenradius ob ingenii fecunditatem ac insi-
 gnem variarum rerum scientiam, spe ipsi facta am-
 plioris promotionis, hic detentus est. Fuit huic
 Scharffenradio immensus proficiendi in studio juris
 ardor, unde laboribus scholasticis exemptus reipubl.
 secretariis adjunctus fuit & post, auctus honoribus
 doctoralibus, ad syndicatum euectus. Magnum fuit
 hominis pro publica urbis commoditate ac privile-
 giis tuendis studium, incredibilis rerum peragenda-
 rum solertia, legationes ad Imperatorem, reges &
 principes innumeræ, adeoque egregia in republ.
 nostram merita, quæ vel ipsi curiæ parietes nunc quo-
 dam tacito hodiæque attestantur. De *ERVICHIO &*
Oldenburgio gymnasii postmodum professoribus intra
 dicendi locus erit. *Johanni Sloengrabbio* opt. art.
 Magi-

Magistro, canonico & decano Ansgariano ab obitu
hoc epitaphium non immeritò positum est:

Mortua Sloengrabi lapis hic tegit ossa Johannis,

Decurio sancti qui fuit Ansgarii.

Quem probitas, quem cana fides, studiumque laborque,

Narrabunt alii cetera, nobilitant.

Ab euntibus collegis statim successi sunt alii, inter quos

DIETERICUS UCHTEMANNUS integra quinquaginta an-

norum periodo de juventute Bremana meritissimus.

Quadraginta item annos operam scholasticæ juven-

tutæ impendit DAVID POMERSCHENIUS. Cantori

Ristedio successus Justus Johannis, huic N. CLAPMARIUS,

huic iterum CONRADUS SMALTIUS, & huic denique JO-

DOCUS HOFFMEISTERUS. Reliquos invenio collegas

BURCHARDUM BOYVERN, LAURENTIUM ROTHBAHR,

JOHANNEM BECKER, JOHANNEM VARLEMANNUM, ædis

Ansgarianæ postmodum concionatorem, JOHANNEM

SCHRODERUM, SIMONEM VON DER UCHT/ & cujus non

prætereunda mentio, CHRISTOPHORUM STENIUM an-

norum 36 industrium & accuratum præceptorem,

eum ipsum, cujus lapidi sepulchrali in ambitu ædis ba-

silicæ (ejus enim pro ea temporum felicitate vicarius

erat) hæc inscripta legimus:

Unde diesem Stein liegt ein ander Stein/

Gott wolle der Seelen gnädig seyn.

Scholæ bonis & rationibus præfuit annis hisce XX

CHRISTIANUS STEDINGIUS, quin idem curam scholæ in



1597.
mortuus



ab an-
no 1564
ad 1614



ab anno
1569.

ann. 81.



ab an-
no 1569





se suscepit sublequentibus annis XV ad finem usque
vitæ, dignus ea propter, cujus memoriam omnem
consequentes anni excipiant. Habuit adjunctos
HERMANNVM VASMARVM & hujus ab obitu *DANIELEM*
BYRENIUM SECVNDVM coll. quorum communi con-
silio res scholasticas felicissimè expedit. Videris, A.
quàm mihi vastus & amplus ad dicendum campus su-
perfit, si laxatis habenis excurrere vestraq; in audiendo
me clementia & patientia, quâ jamdudum plusquam
abuti videor, ulterius abuti vellem. Subsistimus igitur
hîc in iis, quæ hominum memoriam superant quæ-
que *SUPERIOREM* sive *PUBLICAM* & *ILLVSTREM SCHOLAM*
antecedunt.

29. de-
cembr.

Quòd verò, *Auditores Nobilissimi & Spectatissimi*, dum
sub exitum anni elapsi, evocato ex hac nostra schola in
cœlestem *D. Ludovico Crocio*, scholæ illustris Porectore,
viro incomparabili; *mibi à rerum omnium directore*
Deo, decernente amplissimo senatu, *scholæ gubernaculum*
committitur & hodie fausti auspicii gratiâ ad vos dis-
fero, frequentes adesse & posthabitis gravissimis ne-
gotiis vestro splendore ornare hoc auditorium haud
dedignati estis, eo nomine ago immortales vobis gra-
tias; operam dabo vicissim sedulo, ne dies illuc escat,
quo tantæ benevolentiae memoria apud me oblitere-
tur, sed mente grata, quicquid est favoris mihi præstiti,
quod

quod certè maximum duco, omni officio, ubi ubi possum pro virili compensem.

Et vos nominatim primùm compello, Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Dnn. *Præses, Consules, Scholarchæ, Syndici, Senatores*, domini, Meccænates & fautores omni obsequii & honoris cultu prosequendi. Undecim jam exacti anni sunt, cùm ex *Anglia* in patriam, è studiorum meorum curriculo, ad pædagogarchæ & professoris eloquentiæ munus, functionem honestissimam à vestra Magnificentia revocatus accessi; nec uno ab eotempore beneficio à vobis affectus sum, inter quæ haut postremum est, quòd ante quinquennium *professionem publicam Theologicam philosophicæ* addideritis. Quis & qualis fuerim hæc mea in statione, id ego quidem dicere non possum, nisi fortè hoc unicum, me exiguum licèt ingenio & eruditione, bonà tamen in eadem versatum esse conscientia. Interea non obstruati sunt vestri in me benevolentia fontes, sed latis qs, alveis ad me deducti commisso nuper sub ipsum exitum superioris anni meæ fidei *illustris scholæ rectoratu*. Grata mente beneficium tam ingens mecum volvo, esset illud redhostimento dignissimum, nisi magnificentia vestra sese omnino inferiorem agnosceret mea tenuitas & quantum pietatis ac gratitudinis nomen exigit, tantum etiam deficeret facultas. Ut verò meam voluntatem omnibus & singulis

lis vobis inserviendi promptissimam studiis, officiis &
 vestra pro incolumitate precibus declarem nullo non
 tempore enitar. Tradidistis, quod reliquum est, mi-
 hi per Ampl. D.D. Scholarhas *scholæ sigillum*, in quo
 leo dextris unguis tenens clavem, reip. insigne, sinistris
 Jos. 1. 8. librum hac inscriptione: *Ne discedito liber iste legis ex
 ore tuo; sed meditaberis de eo interdum ac noctu;* monebit
 me salubriter, omnes meas actiones omniaq; consilia
 cum ad Dei cognitionem, cultum & gloriam tum ad
 hujus reipublicæ dignitatem esse dirigenda. Inde
librum Statutorum & album studiosorum, ut meminerim
 non arbitrii liberi, sed tenatus consultis & legibus at-
 que ad hosce scholæ publ. cives adstrictum esse meum
 regimen. Denique *claves tum Consistorii scholastici
 tum Carceris*, ut necessitate id efflagitante jus convo-
 candi collegas & fratres mihi collatum & disciplinam
 studiosorum severam commendatam esse intelli-
 gam. Quæ omnia fidei meæ commissa studiosè per
 Dei gratiam servabo. Hisce sic peractis, expansis
 velis muneris injuncti mare cum bono Deo ingredior
 &, quò minus ingenio valeo, eò plus adferam diligen-
 tiæ nullis vigiliis, nullis laboribus parcam; non lan-
 guori me, non desidiæ dedam, qui semper ignavorum
 vitam mortemque juxtà æstimavi, quin potius noctes
 diebus, noctibus dies jungam memor veteris illius
 proverbii: *Spartam, quam nactus es, orna.* Unum
 rogo,

faciam, quantus est in regenda studiosa juventute labor? quanta in petulanti feritate domanda molestia? absit, ut de moribus studiosorum nostrorum conquerar, quorum plerorumque sanè modestia & industria potius commendationem promeretur. Nescio tamè, quo fato bonis aliquando mali mixti sint, otio & Baccho dediti, qui postquam in cauponulis lances omnes impurè deterferunt *omnesq; trullas*, ut Plautus loquitur, *exhauserunt*, se in publicū exonerant jam convicia jam verbera innocentibus intentantes. Delati ad professores rem agunt cuniculis, cælum fallunt, mentiuntur capas, fingunt climaces: quorum sanè retrudendis stratagematibus conjuncto opus est consilio. Ut ergo, *honorandi domini collegæ*, ratione officii vestri id postulante, non minùs vobis disciplina, quàm informatio curæ cordique fuit hætenus; ita & in posterum omnibus modis vos rogo, vestro ut auxilio & consilio in formanda regendâque juventute mihi ne desitis. Ad me quod attinet, fidem do vobis, me cuicumque vestrū officii, quæ quidem à me profici ci possunt, nunquam defuturum, fore me, non qui se velit supra quenquam hac dignitatis accessione efferre, sed vestræ & commoditatis & honoris studiosissimum & verbo, eum, qui fui hætenus. Unum denique rogo, meam infirmitatem tolerate & fraternam charitatem, quam hætenus unâ q̄s, animâ ducti, sanctè coluimus,

serua-

servate, animo illud perpetuò agitantes, quod in
 communi nostro conclavi jussu Magnif. senatùs ex
 apostolo adscriptum oculis nostris obversatur: *Estote* Rom.
XII.10.
fraterna charitate alii ad alios amandos propensi.

Quod idem vobis commendatum cupio, Cla- Bernh.
Clausse-
nius.
 rissime dn. *Pædagogearcha designate, reverendi, eximii &*
doctissimi domini Pædagogei Præceptores, collegæ a-
mandi. Sicut & alterum, quod ibidem ex apostolo
adscriptum: Estote studiosi, non ignavi. v. II. *Magnum est*
officium, quod geritis, cara sunt capita vestræ fidei
commissa; hæc hæc desidiâ neglexisse & hac ratione
magistratum, parentes omnesque bonos spe optima
frustrasse peccatum & dedecus esset ingens. Studio-
jos ergo vos esse vult apostolus in indole puerorum,
ad vitia prona emendata, vitiorum effreni impetu ad III
v. IIII
reprimendo, virtutum ac literarum præceptis instil-
landis. Neque tamen hæc jam loquor vobiscum, qs,
de vestra, sive omnium, sive nonnullorum segnitie,
querimoniam habiturus, sed ut in posterum ad parem
imò & majorem diligentiam invitemini; nam

*Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
 Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.*

Et profectò, si in laudabili hoc vocationis vestræ sta-
 dio tam strenuè perrexeritis, in promptu est procerum
 reipubl, dominorùmque Scholarcharum vestra in
 commoditate provehenda favor, & manet vos in si-

gne illud immortalis gloriae praemium, quod summus
 ille brabeutes omnibus promisit, qui alios ad iustitiam
 erudivere. Neque est, quod quisquam vestrum ab
 inspectione nimis rigida sibi metuat aut offensionem
 ullam in partem pertimescat, qui naevus etiam ab hu-
 mana imbecillitate profectis facile ignosco, promptius
 etiam honestos cujuscunque conatus probo & adju-
 vo: talis & deinceps, vobis rector futurus, qualem, ve-
 stro loco si essem, mihi ipsi rectorem expeterem.

Tandem vobis, *o flos & soboles ingenuae juventutis,*
 seminarium reipubl., spes posterorum, erudita studio-
 rum corona, praecunte Apostolo, sententiã alibi in
 schola adscriptã: *Obedite ductoribus vestris & obsecun-*
date; venerabile dominorum professorum, tanquam
 ductorum vestrorum, collegium commendo; hos ut
 in oculis feratis - hos cultu venerationeque prosequa-
 mini, nec id modò, sed & obedientiam in capessendis
 promptè mandatis, vitandis interdicitis, quàm par est,
 summam exhibeatis, magno vos opere cohortor.
 Nam ut his vitæ & actionum vestrarum regimen
 commiserit superiores; ita vobis obsequii gloria re-
 licta est, gloria, quã certè major in ætatem vestram
 cadere nulla potest. Ut enim hoc ex Plinio mutua-
 ri mihi liceat: *Adolescentum hæc præcipua est prudentia,*
alios prudentiores arbitrari: præcipua eruditio, discere, lu-
ci, moneri velle. Nec, optimi juvenes, ignorare poterit-
 tis

tis officii vestri regulam, quorum versantur in manibus
 leges scholasticae quotidiana lectione iteranda. Me-
 ministis autem, quod, cum in album gymnasii civium
 reciperemini & manu rectori data in vim iurijurandi
 vos obstringeretis, reipubl. hujus magistratui fidem,
 obedientiam rectori ceterisque professoribus, obser-
 vantiam praeceptoribus virisque honoratis, vitam de-
 nique totam scholae legibus convenientem promise-
 ritis. Adeo ut necesse sit debitum praestare obsequi-
 um, nisi iram divini Numinis, superiorum indignatio-
 nem in vos provocare, vestris etiam commodis obsta-
 re velit. Praeter obsequium porro sedulitatem vo-
 bis omnino commendamus. Dedit vobis natura in-
 genia maximarum artium & virtutum capacia, ad
 quae si par accedat industria laborisque assiduitas, fa-
 cile ad praeclaram nominis gloriam assurgetis. *Fu-
 rius Cresinus*, ut refert Plinius, pellectarum veneficio
 frugum reus dicta sibi die rustica sua instrumenta in
 forum attulit, quae cum obduratis callo manibus o-
 stentans: *Haec inquit, veneficia mea sunt, Quirites, neque
 possum vobis ostendere curas industriamque meam, quam in
 agro colendo adhibui.* Hæc vos seduli laboris adhibere
 veneficia oportet, nisi amittere speratam bonarum
 frugum messem velitis. Nihil itaque superest, quam
 ut & docentes & discentes, tam qui praesunt quam qui
 parent, quique, quod officii ratio postulat, praestemus.

Quod reliquum est de me quidem promptam voluntatem vestras tuendi commoditates hic publicè vobis polliceor, vestrum jus meum jus esto; vestra injuria, injuria mea. Absit enim ut vos, quorum tutelam ipsa natura & magistratus tam sanctè nobis commendarunt, nobis scientibus impunè quisquam laceffat. De vobis pariter non nisi optima mihi promitto quum potior certè pars vestri probis sit moribus & ad solidam virtutis ac doctrinæ laudem adspiret. Sint itaque nonnulli minùs boni, emendabuntur etiam ipsi, spero, bonorum consortio; sin minùs, nos certè non patiemur, ut paucorum improbitate aliorum integritas contaminetur; sed illos ut infelix lolium extirpabimus & ejiciemus foràs. Longè tamen meliora de vestra omnium & singulorum indole speramus. Quin potiùs, *optimi juvenes*, vincite ipsam spem nostram; contendite mecum cùmq; scholæ patribus, utra pars diligentia & industriâ alteram possit superare. Ita studia nostra feliciter cedent. Ita Deo & hominibus erimus grati.

Sic ad te supplices prolabimur, Maxime Deus, qui summus scholarum omnium director es, imò totius universi. Tuo sub auspicio ex ignorantia & errorum tenebris schola hæc nata est in alma hac republica. Te adspirante illa in majus provecta. Tuâ gratiâ hucusque in eadem divinæ juxta ac humanæ artes

artes loquuntur. Tuo auxilio cum orientis, cum
 Græciæ, tum orbis Romani apud nos personant Mu-
 sæ. Tuo præsidio nostros scholasticos labores susti-
 nemus & progressus studiorum fecimus. Gratias,
 gratias, inquam, tibi debemus, ô Deus, easque infini-
 tas pro tanto tuo beneficio. Tuæ enim clementiæ
 hæc omnia debemus. Tuæ misericordiæ est, quòd
 ultra seculum inter calamitatum maximarum nomi-
 na, pestilentiam, incendia, obsidiones, tumultus & re-
 ciprocos bellorum ætus schola servata est. Nihil hîc
 vigilantia, nihil hîc cautio, nihil prudentia nostra sibi
 vendicat. Conserva, conserva hoc tuum munus, ô
 Deus, & si quid ei detrictum est, tu per benignitatem,
 tuam liberaliter pensa. Tuere proinde hanc illu-
 stre scholam, pietatis & optimarum artium officinam.
 Tuere ecclesiam. Tuere ampliss. magistratum nostrum,
 utriusque nutritium. Tuere ecclesiæ scholæque doctores.
 Custodi patriam & siste ruinas ejus, qui univ-
 ersum orbem sustines, ne ruat. Custodi juventutem,
 spem patriæ. Custodi cives & incolas. Pacem restitu-
 tam conserva nobis. Me denique hominem tenuem arduam
 vocationem tui fiducia auxiliadeuntem ne desere.
 Age, quicquid vel in informanda vel regenda juven-
 tute fecero, id fecundum sit ad copiosam salvandorum
 messem, tuæque gloriæ incrementum. Concede tandem
 nobis omnibus, ut
 mili-

militiâ defuncti coronam boni certaminis reportemus. Sed nihil attinet danda præscribere; nec dubitamus, te in numerato habere omnes necessitates nostras, & velle te etiam nunc esse benignum, qui ab æterno optimus exististi. Tibi, ô sacrosancta Trinitas, sit laus, honor & gloria in secula.

Documenta duo ad foundationem scholæ Brem.
pertinentia è tenebris luci restituta.

Fundatie thor Schole 100. fl.

Wir Borgermeistere/ Rathmanne/ und ganze Witt-
heit der Statt Bremen/ bekennen und betügen vor
uns und unse Nahkamelinge apenbahr in düssel Breve/
nadehm uns in macht unser Beropinge nicht allene tho-
steit und geböhret/ in unser Statt tho under holdinge bor-
gerliken Gehorsahms/ Frede und Eindrachts/ rechtmetige
Ordinancien und losflike polici anthorichten und tho statu-
erende/ sundern ock darbeneffens plichtig und schuldig sin
vor de Jöget und junge Kindere gude Schole und Lehr-
meistere anthosetten/ und tho verordnenen/ dardorch de solff-
ten Kindere/ de uht fleschlicher Geborte tho der Undöget-
geneget/ vermiddels flitiger Upschunge ehrer Meistere dar-
von gehalten/ und tho der ehre des Almechtigen/ tho Tro-
ste und Lessmode ehrer Oideren/ und süstes tho einem gu-
den Ebenbilde und Exempel/ ock losliker Nabsage der an-
stotenden Nabern/ durch gode Lehre in allen Dögeden
tho

thonehmen und waffen / und also tho Wolstande der go-
den Stad / und tho Noturfft des gemenen Bestes gebru-
cket möge werden.

Hierum is dat Gasthuess sunte Gerdrudis by sunte
Marten mit Jahrlicher Upkumste wol besorget / und also
nu durch vorluchtinge des heilsamen Gottlichen Wortes
mit den Pilgrimmen / wo bether tho geschehen / nicht sehr
beladen / und besweret / deshalben wy am Jahre acht und
twintig jungstverschonen tho behof der vorbenenden Scho-
le / so datmals in der Katrinen Straten upgerichtet / und
verordnet / hundert Gulden munte assigneret und gegeben /
de de Vörstendere des vor genendten Gasthuses sunte Ger-
drudis / van den Upkumsteu dessulfften / den verordenden
der vorgehendten Schole jährlichs thostellen / behandeln
und vornögen schölen / darinede desulffte Schole tho Be-
hoef der Jögedt / wo vor mit guden Meestern versorget /
und ein jeder na siner Gestalt darvan besoldet und erholden
möge werden / welckere Gifft der hundert Gulden wy al-
so hinede in macht unser Overheide nahmahls hiermede
bestadet / und bekrestiget willen hebben / so lange darby
tho blivende / dat wy enes beteren darinne tho Rhade wer-
den / nicht jegenstande jenigerleye Verschwinge / so dar
entjegens möge upgebracht und vorgewendet werden / als
sent ohne Behelp und Geverde / und dusses tho thüge / so
hebbe wy Borgermeistere / Rahtmanne / und ganze Witt-
heit der Statt Bremen unser Statt Insegel tho düssen
Breve gehangen / na Christi unsers Heren gebohrt / dusent /
vyffhundert / darna im ver und dertigsten Jahre am
Avende Johann tho Mydden Sommer.

Vordrachte zwuschen dem Rade unde den
schwarzen Monneken.

Iho wetende/ Nabheme idt mit den Orden und gest-
licken Stenden/ und sunderlicks den Mendicanten
nah jehigen Lufften der Welt der maten gestelt/ dat den-
sulffen fort nuher to erer underholdinge/wo duslange ge-
scheen/gar nichts oft wenig tho gekhret und gegeben/war-
umme den de Brodere des Convents sunthe Katharina
binnen Bremen dar tho verorsacket/dat se to erer Noturft
und Lutes vodinge den mehrern Deel ehrer Klenodien ver-
kofft/ und de anderen Klenodien und Gudere/wo se to ge-
ringer werde/ noch averich und vorhanden hebben to erer
Entholdinge ock verkopen mochten. Derhalven den de ge-
dachte Brodere by dem Erbarn Rade der Statt Bremen
vast instendig angesocht und gefordert/ umme desulffen
von orem Closter/ Klenodien/ Breven/ und Gudern tor
Noturft vortostaende und tho erholdende.

Wp dat nu de gedachten Brodere/ wanner de overigen
Klenodien/ Npkumsten und Gudere gelick den vorigen von
handen gebracht/ und verkamen/ to ewigen Armode/ und
dar doch in wieder beschweringe nicht gefohret/ ock de Huse-
re eres Closters verkofft/ und dat overige gebowte/ dat mit
groter Unkost tho underholdende/ nicht nedderfallen und
verkamen mochte/ welckent op thodont und hulpe veler
milden Harten also angerichtet und gemacket/ des hefft de
Rhat tho Bremen der gedachten Brodere stich Ansoeken
und Erforderen vor billig angesehen und bewagen/ und
desulffen darup mit ehren Kloster Klenodien/ Breven/
und Gudern / nichts uhtbescheden/ in ehren gewahrsum
und Handthavinge angenahmen und entsangen/ Se dar-
vande tydt eres Levendes in folgender maten vortostaende
und

und to versorgende/also dat gemelte Brodere/namptliken
 Hermannus Belthusen/Prior, Petrus van Gūlick/Johan-
 nes van Daventer/Dominicus van Grōningen/Albertus
 Geffke/Otto Belthusen/ und Johannes Sartorius,de dūssēt
 also gefordert/des Bruwhuses/des Kellers/der Kōken/der
 niggen Gastkameren mit der Darnsen darby belegen/dar-
 tho ein jeder seine Cellen/und de enen Gastkammer achter
 der Libereye/ock des Ganges to Sacristie unde Kor her/
 dewyle se thosammende syn/tho erer Noturfft vor sich ge-
 bruken/unde beholden schōlen.

Dartho so wil de Abhatt ener jeglichen Persohn Jahr-
 licks thokren und geven viff und twintig Bremer Marck/
 unde den dessulfften alse de Helffte up Paschen/unde de
 ander Helffte to allen sunte Michaelis dagen to eren Han-
 den tostellen / unde vorrecken laten / dartho dat Closter in
 noturfftigen Gebuwte verstan und underholden/und dū-
 set also beschedentlick/dat de Betalinge des verschrevenen
 Jahrgeldes up Paschen uechst folgende erst angan und
 beginnen schal / und wanner ener van enen dodes halben
 verscheden / dat den dessulfften an parth mede verfallen
 schole wesen / dar sich ock jemandes van den vorgenen-
 den Brodern guthwillig uht dem Closter tho andern
 Wegen wolde begeven / mit dem sulfften wil de Abhat
 als den ock eens vor alle up drāglicke Wege laten han-
 deln / ydoch dūssēt alle to der Behoef / unde mit dem
 Vorbeholden unde Bedinge / alse wor in tokame-
 nen Tyden in enem gemenen Christlichen Concilio van
 Kayserl. Mayst. Cursürsten / Fürsten/Graven/und sit-
 stens gemenen Stenden des hyligen Ryncks/eindrechtig
 vor billig und recht angesehen unde beschlaten/dat de Clo-
 stere in ehrem vorigen Wesende schōlen bliwen/dat den de
 vele gemeldete Abhatt dat vorschreven Closter/dat to vō-

ren uht milder Andacht und goden Harthen tho Gades
 Ehre angerichtet / middeler Tidt nicht vorkallen und vor=
 kamen/ dan in notrufftiger Beteringe und Besten erhol=
 den moge bliven/ tho dem vorgehenden Ehren Orden we=
 derumme willen kamen unde volgen laten/allent ane Ges=
 werde. Und dusses to Tuge so syn düsser Breve twe eis=
 nes Ludes/ darvan de ene by dem Rade/und de andere by
 den vorgeannten Broderen enthouden/und mit der Statt
 Secret und des Convents Ingesegel allenthalven hier an
 gehangen/bestadet und befestiget/ Gegeben na Christi u=
 fers Heren Gebohrt Dusent Viefhundert darna im ver=
 unde dertigsten Jahre am Mandage na Divi=
 fionis apostolorum.



QUOD FELIX ET SALUTARE JUBEAT ALTISSIMUS!
SEPTIMANÆ, HANC SEUTURÆ, MARTIS DIEM
IN XIV. OCTOBR. INCIDENTEM,
QUÆ ANTE SECVLUM PUBLICAM HANC ET ILLUSTREM SCHOLAM,
*Hoc cœlestis veritatis & humane sapientiæ adytum,
Hanc artium ingenuarum & eruditæ linguarum Officinam,
Nobilem veluti fœtum enixa est,*
SECULARI SEU JUBILÆA FESTIVITATE
ET PUBLICIS GRATULATIONIBUS CELEBRABIMUS.
INCLYTISSIMO REIPUBL. QUONDAM SENATUI PRO CONDITA,
EIDEM ET HODIERNŌ PRO SUSTENTATA SCHOLA,
DEO CUMPRIMIS IMMORTALI,

*Cujus solius munus est, quicquid felicitatis in nos ex auspiciata
illa die rediit hætenus atque in posterum etiam redibit,*
DEBITAS LAUDES ET GRATIAS REDDITURI,
SIMUL VOTA ATQUE CASTAS PRECES NUMINI ALLEGATURI,
QUO EANDEM FORTUNET ET CUM GENERE HUMANO ÆTERNET,
SERIS ETIAM NEPOTIBUS, QUANTI HOC BENEFICIUM FECERIMUS,
TESTATURI.

REIPUBLICÆ SUMMATES PER QUAM MAGNIFICI,
ECCLĒSIastici OMNIUMQUE CIVITATIS ORDINUM ET
DIGNITATUM VIRI PLURIMUM RERERENDI,
NOBILISSIMI, SPECTATISSIMI,
NEC NON DIVINIS HUMANISQUE STUDIIS SACRATA CAPITA,
Invitati veteri hæc præconum ad ludos seculares convocantium voce:
VENITE AD LUDOS, AD SOLENNIA, QUÆ NEMO VESTRUM
VEL VIDIT HACTENUS VEL POSTHAC VISURUS EST:

ADESTE

ET FESTIVITATEM HANC ILLUSTRATE, CONDECORATE.
COMMUNI AFFECTUI COMMODABUNT LINGUAM,
GERHARDUS MEIERUS, S. S. TH. L. PR. P.

ET SCHOLÆ ILLUSTRIS RECTOR,
& DIDERICUS SAGITTARIUS, ELOQUENTIÆ PR. P.
BIBLIOTHECARIUS ET PÆDAGOGEARCHA,

*ac præter gratulationes de scholæ statu
Ille horâ IX. matutinâ ab ann. clō lō LXXXIV. ad a. lōc X.
Hic II. pomeridianâ ab a. clō lōc X. ad a. clō lōc. XXX.*

dicent.
FAXIT TANTORUM BONORUM AUTHOR DEUS
*ut illuscit hic dies feliciter hæc, honoribus ipsius destinata solemnitas reipublicæ
Christianæ & Patriæ atque prosperè*
RECTOR ET PROFESSORES P. ID OBNOXIE ROGAMUS.
P. P. DIE V. OCTOBR. A. ÆRÆ VULGARIS clō lōc LXXXIV.

GERHARDI MEIERI

ORATIO SECULARIS.

Magnifici admodum, Nobilissimi, Amplissimi, perquam Re-verendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Eruditissimi, Prudentissimi, Spectatissimi Domini,

Præses, Consules, Scholarchæ, Syndici, Senatores, Doctores, Pastores, Seniores, Secretarii, facultatum omnium Candidati,

Admodum Re-verenti, Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi Dnn. Professores. Pereximii, Humanissimi atq; Doctissimi Dnn, classium Moderatores,

Domini, fautores, amici, qua erga unumquemque par est, observantia & officio venerandi & colendi

Nobilissimi & Præstantissimi, Dn. Studiosi juvenes, spes posteritatis, flos & decus adolescentiæ.

Quadragesimus jam labitur annus, cum in publica patriæ panegyri ex hac ipsa cathedra professoriæ functionis initium facturus verba primū feci. Videor mihi coram adhuc intueri tot Clarissimorum virorum in splendidissima corona circumsedentium capita, qui magnā virtutis & innocentiae famā reipublicæ, ecclesiæ, scholæ & reliquis honoratioribus civitatis muneribus tum præerant; nobilissimā itidem per

per subsellia densè locatam pubem. Doleo, v. ut sunt res vitæ humanæ fragiles, caducæ & diurnitatis expertes, aves volatu prætereuntes, è reipublicæ istis proceribus hodie superstare *neminem*; *neminem* ex ecclesiæ antistitibus; è jureconsultorum, medicorum, seniorum, secretariorum, pædagogi magistrorum ordinibus *neminem*; *omnes, omnes* humanis rebus exemptos & cursu, quem Deus dederat, exacto ad meliores sedes translatos. Solo è collegio publicorum professorum duo duntaxat superant, alter post paucos tum annos urbis primario adhibitus muneri ob publica negotia difficilimis sæpetemporibus ultra omnem spem, præclarè & supra laudes nostras exedita æterna memoria dignissimus; alter ornamentum adhuc ordinis nostri haudquaquam postremum. Breve quadraginta annorum spatium tot tantosque viros, tam bene meritos absumsit, ut nec quicquam eorum in terris superfit, nisi nominis fama & quantum *sui memores alios fecere merendo*. Omnes tamen, qui vita hac in hunc diem fruimur, ingenti meritò suffundimur lætitia, quòd paterna Dei in nos benignitas istis deficientibus substituerit novas quasi reipublicæ omniumque in ea ordinum tibi-nes, viros omni eruditionis genere, pietate, virtute, in patriam fide, prudentia rerumque usu excellentissi-

Jo. Wach-
mannus
secundus,
Ictus &
Syndicus
reipubl.

M. Henr.
Vagen-
feldius,
log. &
met. Pro-
fessor.

mos,

mos, quorum ope & vigilantia per totos hosce quadraginta annos res patriæ communis illæsa subsistit atque incolumis. Quin ex animo gratulamur nobismet invicem & toti exultamus gaudio, quòd idem clementissimum Numen ab hoc ipso die xiv. Octobris, publico Athenæo nostro natali, per integrum seculum rempublicam contra infesta sæpe arma, ecclesiam contra hostiles adversariorum insultus, civitatem contra pestilentiam urbem aliquoties non leviter depascentem, annonæ caritatem aliâque truculenta calamitatum nomina sarta tecta conservaverit. Et speciatim quòd Magnifici & Sapientissimi senatus mentem & cogitationes eò direxerit, ut scholam pædagogicam anno à Christo nato supra millesimum & quingentesimum vigesimo octavo, relucente jam euangelicæ veritatis aurora, à se conditam ad laudem omnipotentis Dei & præcipuum patriæ decus in puræ religionis templum atque in legum, medecinæ, liberalium artium, bonarum linguarum & virtutum publicum domicilium auxerit atque provexerit. Nec nascentem solùm hanc illustrem scholam hodierna ante seculum luce in cunas quasi reposuerit, sed & sollicitissimè cum doctoribus constitutis & stipendiis iisdem suppeditatis, tum palatiis atque auditoriis ad invidiam usque exstructis per integrum hunc annum centenarium aluerit. **Q**ua certè officii & sapientia

entia gloria, qua virtutis atque egregiae probitatis laude nulla aut major aut pulchrior magistratui esse potest. Academiae siquidem & scholae publicae arces sunt sapientiae & veritatis, scientiarum thesauri, omnium liberalium artium mercatus, civilium instrumentorum armamentaria, fontes universae in hisce terris vitae beatae, denique auroae quaedam communis omnium salutis praenuntia. O itaque verè laetum, candidum & meliore non tantum, quod dicitur, lapide, sed & unionibus ac gemmis omnium seculorum memoriae inscribendum & commendandum diem! Principum ac magnarum urbium natales magna solennitate, pompa ac laetitia antiquitus celebratos legimus; etenim diem illum credebant sibi innovato quotannis gaudio colendum, qui primus quemque misisset in possessionem lucis & vitae quique effecisset, ut bonorum omnium, quae in vita percipimus, capaces essemus. Apud Dionem Nicæum refertur *Adrianus* Imperator natali suo die spectacula gratis dedisse populo tantamque vim ac numerum bestiarum in eo caesum, ut centum leones totidemque leonae pariter conficerentur. *Antiqua illa Roma* singulis centum annis in honorem Apollinis & aliorum deorum, quibus, ut Horatius canit, *Septem placuere montes*, & quorum sub tutela aeterna urbs stare credebatur, ludos solennes & sacrificia magnificentissimo spectaculorum & victimarum

Carminē
seculari.

marum apparatu non sine immensis sumptibus instituit. Nobis, *auditores*, quid hodie faciendum incumbet, ubi centesimum agimus natalem Licei nostri, ex quo, tanquam fonte, nullius unquam voce satis deprecanda beneficia in urbem redundarunt. Reatissime fecerimus, si Clarissimorum majorum nec non Academiarum aliarumque celebrium scholarum vestigia secuti, id quod & Amplissimo Senatui, nutricio nostro faventissimo, placuit, hunc ipsum diem seculari sive Jubilæa festiuitate solenniter celebremus. Non ut inanibus spectaculis, quæ, simul subductæ oculis sunt, evanescere solent, otiosos & feriatos homines detineamus, sed potissimum ut Deo immortalis pro ineffabili in nos bonitate & beneficiis per aperturam & conservationem publicæ scholæ uberrimè nobis collatis debitas laudes & gratias reddamus. Has referre eidem solemus pro donis alendo & fulciendo corpori inservientibus; quantum magis par est, pro iis illas exhibere, quæ mentis culturam animarumque felicitatem spectant. Quin ergo initio manibus cordibusque elevatis ad gratias beneficentissimo Numini dicendas nos componimus.

Coram te, ô Deus, supplices procumbimus. Tuo sub præsidio natum est hac in urbe publicum, hoc pietatis & eruditionis gymnasium. Tu primatibus nostris generosam hanc mentem, hanc invictam

voluntatem aspirasti ut de instituendo illo cogitationes conceperint. Tua inenarrabili bonitate per integrum jam seculum in tanta rerum omnium vicissitudine, fluxu ac refluxu, incolume illud subsistit atque in illo loquuntur divinæ juxta ac humanæ artes. Quid eruditionis, quid literarum in eo potuit desiderari? Tua benedictione projecta à docentibus doctrinarum semina ab attenta juvenum mente veluti fœcundo agro fuerunt excepta, atque inde ex hocce seminario non exiguo prodierunt numero, qui magno cum fructu ecclesiæ operam navarent, qui republ. salutaribus consiliis fulcirent, qui sanitatem hominum tuerentur, quique moderandis juventutis studiis præfererentur. Tua directione atque clementia urbis regimen salvum mansit atque illibatum, ipsæque inclytus senatus viget florétque, benigno favore scholam hanc prosequitur eamque auctam & conservatam cupit. Tuo denique patrocínio ædificia hæc sacra ab incendiis, aræ atque templa, lares ac fortunæ nostræ ab hostibus pacis ac veritatis servata sunt; & cum in maximam Germaniæ partem non multos ante annos tempestas acerrimi & luctuosissimi belli magno temporis tractu incubuerit, urbs tamen ab isto diluvio, quo florentissimæ provinciæ atque urbes tantum non penitus absorptæ sunt, immunis perstitit, ut è terra aliorum labores nostri sine parte periculi spectaverimus. Nihil in

in hisce omnibus industria, nihil providentia nostra sibi vendicat; quòd adhuc sumus & quicquid sumus hoc totum, hoc universum, Deus, est tuum. Tibi ergo soli sit laus, honor & gloria à seculis in secula.

Et vobis, *patrie olim patres*, tantorum bonorum conditores, largitores & custodes, agimus gratias, quantas possumus maximas, cum referre eas, quas agnoscimus, nequeamus, quòd de schola patria cum fovenda tum augenda adeò fueritis solliciti, ut curatis non exiguo labore impensis ex eadem publicam atque illustrem linguarum ac scientiarum officinam erexeritis, Dona hæc animi & mentis dona sunt, firma insuper solida, propriè nostra, cum externis commodis si quis ea recta iudicii lance expendat, haudquaquam conferenda. Id præstitistis, *beatæ animæ*, quo salus & felicitas constitit non vestræ duntaxat ætati, sed & liberis, nepotibus quin seræ posteritati, redundaturum etiam cum ad vicinas tum remotiores terras. Urbem patriam bene munitam & locuplete armamentario instructam habere, ut infesta ab ea arma arceri atque propulsari queant, gloriosum est. Non minùs est eandem publicum habere quasi armamentarium, ex quo pietatis atque doctrinæ hostes, virtutis & humanæ societatis destructores, oppugnentur, vincantur, deleantur. Magnificum est, forum ac curiam splendide exstructa habere; æquè magnificum est

urbem publica æde esse adornatam, è qua decedenti-
 bus Curialibus, Ecclesiasticis, Medicis, aliisque publicis
 officialibus idonei successores succrescant, ne opus
 sit magnis sumtibus, anxia deliberatione ac non sine
 ineptitudinis quandoque periculo ab exteris vocare,
 quibus publicæ quâ sacræ quâ seculares functiones
 committantur. Summas proinde gratias pro tantis
 beneficiis vobis cum omni posteritate debemus. *Orio-
 ni, Herculi, Perseo & similibus,* à quibus literæ instaura-
 tæ sunt aliæve ad vitæ cultum commoditates inventæ,
 præclara reddita gratia est dum stellis insiti sempi-
 terna nominis gloria fruuntur inque omnis posterita-
 tis memoria relucet. Deus vos, *beati heroës,* supra
 omnium stellarum splendorem pulchritudinemque
 in perpetua & augusta luce locatos immarcessibili
 immortalium bonorum corona condecoravit. O
 vos *Felices animæ,* quibus hæc cognoscere primam, *Hæc-
 que domum Musis condere cura fuit.*

Vos denique compello, *Patres conscripti,* qui di-
 vina directione publicæ rei jam præestis. Vobis non
 minores debemus quàm decessoribus vestris gratias,
 quòd favorem vestrum in inclytam scholam hodiè
 que servetis integrum; *Nec enim minor virtus est par-
 te tueri, quàm querere.* Vos in æterni Numinis hono-
 rem, in publicum privatumque commodum hocce
 Lyceum fovetis & ne quid ad incrementum & sum-
 mam

mam ejus desit, docentium numerum hucusque auxi-
xistis, nec eosdem stipendiis, quibus ad Spartam exor-
nandam accendantur, destituitis. Torpent scilicet
jacéntque ingenia, quæ negliguntur, at nunquam con-
trà magis florent artes bonæ virtutumque studia,
quàm ubi sunt, qui & æstimant rectè & benignè iis fa-
vent. Contentis opera non impenditur, id quod rei-
publicæ ruinam trahit. Nos proinde pro tanta mu-
nificentia pietatem & gratitudinem vobis debitam,
quocunque studii atque officii genere, saltem pro viri-
bus, probabimus. Ulyssis socii vino deficiente, quod
soli dicarent, absuntis bubus aquam muneri adhibue-
runt; sic quoque, quum nihil sit, quod meritis vestris
dignum exhibere queamus, maluimus tamen hoc mu-
neris, qualecunque est, quàm nihil offerre. Quan-
quam literæ per se hanc gratiam referant, ut non si-
nant intermori, aut interciderè memoriã & famam
eorum, per quos ipsæ vivunt.

Hæc prælibanda, *Auditorum omnium ordinum & digni-
tatum honoratissimi, dignissimi*, fuere, paulò fortè prolixi-
us, sed quæ postulasse videntur cum solennis hujus
conventus ratio tum hodiernus ipse dies, quo ante
seculum multò maxima per publicæ scholæ apertu-
ram civitati collata sunt & in hunc diem conservata
beneficia. Cæterum cum uberiorem de argumento
aliquò à me expectari dissertationem facile intelli-
gam,

Epist. Do-
xanti, resp.
Cos.
Gerb. Ha-
nerv. P. P.
Epist.
V. V. de-
m. Ca-
n. d. i. c.
Sic. p. h. a.
Joh. Schin-
d. h. P.
f. h. O.
S. m. v. l.

gam, non recedam longius & aucupabor curiosius aliunde styli vocisque materiam, sed intra domesticos subsistens limites planè è medio, quod ajunt, foro eam desumam. *De schola Bremensis natalitiis & progressu dixi* oratione inaugurali pro felici rectoratus mei auspicio; temporis ratio non permittebat tum procedere ulterius, quàm à primis ejus cunabulis usque ad annum superioris seculi octogesimum quartum, illum ipsum, qui publicæ atque superiori scholæ nostræ initium dedit. Jam loco & festivitati huic vix aptius quid proponi posse reor, quàm si telam illam pertexturus *Scholæ faciem in scholaribus & doctoribus ejus depingam, saltem per illa tempora, quæ memoriam hominum hodie viventium transcendunt, & nisi jam serventur, oblivioni, sepulchro velut suo, proxima sunt, per annos nempe viginti sex ad seculi hujus nostri decimum, quo Matthias Martinus, fulgidum illud Minervii nostri sidus, moderamini illius admotus est; quantum quidem è chartis & libellis studiosè quæsitis nec non ex ore & relatu senum quorundam, virorum fide dignissimorum, ea ætate scholæ alumnorum, ante hosce plulculos annos investigare mihi licuit. Hacratione Amplissimi Senatus atque Ephorum curas, sumtus & labores in schola publica condenda atque sustentenda in apricum locabimus, doctoribus ejus ævi diligentia atque virtutis præmium reddemus: Dignum liqui-*

Eberh. Do-
zenii, reip.
Cos.
Gerh. Ha-
nevv. P. Pr.
Eberh.
Vvede-
meieri, Ca-
nonici
Stephan.
Joh. Schrö-
deri, Pa-
storis O-
bernevl.

siquidem laude virum Musa vetat mori, ut Venusinus ca-^{1.4.8d.8.}
 nit; & nosmet res antecessorum egregiè gestas pe-
 nitius intuentes quibusdam quasi suscitabilis incitabi-
 mur, ut passu non dispari eorum exemplo famæ non
 intermorituræ præconium assequamur, idque juxta
 monitum Demæ illius Terentiani: *Inspicere tanquam
 in speculum, in vitas omnium Jubeo, atque ex aliis sumere
 exemplum sibi; Hoc facito, hoc fugito; hoc laudi est, hoc
 vitio datur.* Sed quid ego ætate proventus & ab e-
 loquentiæ ponte dejectus ad dicendum prodii? Malui
 scil. potius de ingenii & famæ existimatione periclita-
 ri, quàm pietatis & gratitudinis hoc officium, cum id à
 me desiderari intelligerem, negligere; nec refragari
 superiorum atque collegarum voluntati debui. Pro-
 fero proinde in medium, non quod rei amplitudo &
 & hodierni diei solennitas exposcunt, sed quantum
 ingenii conatu assequi possum. Quod dum facio,
Auditores, quotquot adestis, ut me benevolè audiatis
 cultu obnoxio, officiosè & diligenter peto, ut quan-
 tum virium in progressu tenuitas mihi detrahet, tan-
 tum animi vestra in audiendo intentio subministret.

Anno seculi XVI. octogesimo tertio diem obie-
 rat extremum *Johannes Molanus*, Flandrus, scholæ per
 annos XX Rector, vir accuratioris disciplinæ custo-
 dia, nec non facultatis informandi dexteritate, erudi-
 tione, pietate atque industria nemini secundus; dignus

L

verò

Adelph.
Act. 3.
sc. 3.28. 1. 1119
2. 2

verò *Molano* successor perquam sollicitè apud exteros,
 (patrià à viris eruditis nondum fœcundâ) quæreba-
 tur ab incluto senatu, præcipuè Dnn. Ephoris sive
 Scholarchis, *DANIELE BYRENTO* secundo & *CHRISTIA-
 NO STEDINGIO*, utroque consule, viris pro incremento
 ac salute scholæ, ejus augenda sorte, ædificiis aptandis
 atque instaurandis, cæterisque huc spectantibus vigi-
 lantissimis; quorum reliquas eximias dotes & emi-
 nentia in universam patriam merita, quippe omni
 mea laude sublimiora religioso silentio venerabor, ut
 olim solertissimus pictor *Timanthes* velo obumbra-
 bat, quod penicillo exprimi posse desperabat. In
 consilium vocati ac rogati *Christophorus Pezelius*, Su-
 perintendens, atque *Johannes EYVICHUS*, poliater, eru-
 ditorum eo tempore apud nos principes, ut pro eo,
 quod ipsis cum doctis intercederet commercio, de
 scholæ ultra præsentem statum amplificandæ Rectore es-
 sent solliciti, tentavere ad functionem hanc capeffen-
 dam *Casparum Crucigerum* S. Th. D. & post *Rudolphum
 Gocclentum*, illum academiæ *Wittebergensis* paucos
 ante annos, hunc *Marpurgensis* professores; sed ne-
 quicquam, quippe muneribus aliis jam astrictos & à
 Sereniss. *Hassia Landgravio* detentos. Tantùm
 verò abfuit, ut de instituto suo obtinendo animum de-
 mitterent Scholarchæ & viri hi Clarissimi, ut fervetio-
 res facti in sententia persisterent de schola in publicum
 atque

Plin. l. 35.
 c. 9.

atque illustre gymnasium evehenda, in quod ad majorem Dei gloriam præter eruitarum linguarum studium omnium liberalium artium & scientiarum orbem introducerent. Et non levibus quidem ad id se moveri rationum ponderibus præliminari oratione IV. calend. Junii anni ejus seculi octogesimi quarti publicè in bibliotheca quondam monachorum semotis libris & schedis habita demonstravit Pezelius. Nec temere conjiciebatur, fore ut juvenus studiosa, priusquam ad exteras academias è patrio exiret ludo ad provectiorè ab ignorantia, vitiis & petulantia magis despumatam aetatem succresceret; fore etiam ut, quæ toris intolerandis sumptibus quærenda essent, civibus domi provenirent impendiis exiguis & minori etiã periculo; id quod olim suavit Plinius junior datis ad Tacitum literis sui ævi patribus rectum consilium hisce verbis suppeditans: *Vehementer intererat vestra, qui patres estis, liberos vestros hîc potissimum discere. Ubi enim aut jucundius morarentur quàm in patria, aut pudicius continerentur quàm sub oculis parentum, aut minore sumtu quàm domi. Quantulum est ergo collatâ pecuniâ conducere præceptores, quòdque nunc in inhabitationes, in viatica, in ea, quæ peregre ermuntur, impenditis, adjicere mercedibus. Addebant eruditi, fore pedetentim, ut in proprio seminario pararentur, qui vacantibus cùm sacris tum civilibus functionibus præficerentur. Quin prom-*

In comi-
tiis Au-
gustanis
1495.

tius allectum iri ad scholæ tractandum gubernacu-
lum virum probatum, si ea è triviali in publicam pro-
vecta esset. Hisce rationibus, maximè verò *Maximi-
liani I. Augustiss. Imperatoris* monitis ut status Imperii
de publicis scholis in suis terris de novo instituendis
vel collapsis redintegrandis essent solliciti, persuasi,
adulta ætate manum operi admoverunt atque Deo
annuente è bibliotheca monachorum auditorium
cathedra ac subselliis commodè instructum, camera-
tum illud, quod hodie *Medicorum ac Philosophorum* est,
adornarunt, Nobilissimo viro, *Johanne Ervichio* reip.
physico, flagrantissimo literarum amatore, hoc ipso
ante seculum die solenni oratione musis, sapientiæ &
virtuti illud consecrante atque publicorum gymnasii
scholastici actuum initium faciente. Sic locus, qui
mutis antè præceptoribus, ab hoc die vivis incepit in-
servire, & Musæ sedem invenerunt in cœnobio cui-
dam *Catharinæ* olim dicato, quam simplicitas veterum
tutelam præsidiumque philosophicis studiis sanxerat,
Faxit verò Deus benignissimus, ut nomini huic *Ervi-
ch*
res ipsa respondeat atque hæcce sacrarum atque hu-
manarum artium officina *æternum* superfit, crescat, vi-
reat floreâtque.

Apparato auditorio in procinctu ad juventutem
erudiendum stabant professores, viri omni scientia-
rum parte instructissimi; dux unus deerat ad litera-
riam

riam rem rectè gubernandum & collegarum operas moderandum idoneus. Aegrè quidem tulerant patriæ primates quòd non unum ad clavum hunc tractandum frustra invitassent, postea tamen, ubi *JOACHIMVM MEISTERVM*, Gorlizensem Lusatum, literis honorificè vocassent isque vocationi haud gravatim parvissset, *Experti sunt*, ut *Clariss. Pezelius* in renunciatio-
 ne publica hujus Rectoris loquitur, *singulari Dei consilio* rem ita gubernatam esse, nempe quemadmodum in universa vita piorum quotidie accidit, ut providentiâ divinâ res nostræ omnes publicè privatimque & multò quidem rectius, quàm nos cogitando prospicimus, dirigantur atque eveniant, ita quoque in hoc negotio contigisse, dubium esse nobis minimè debeat. Scilicet hoc in fatis fuisse, ut locus hic viro huic optimo & integerrimo divinitus asservaretur; sincera quippe pietate, ingenio præstanti, doctrina excellenti, dicendi & scribendi facultate insigni, scholasticarum rerum usu eximio, moribus & vitam integerrimis, existimatione & authoritate gravi, denique erga scholas & totam rem literariam Clarissimo. Tulit meritò hocce Meisterus à Pezelio elogium; etenim Lubenen-
 sem ille scholam, quod oppidum Lusatiæ est, direxerat: *Elbingensem eò vocatus ordinatè disposuerat: Gottinganam* magno discentium fructu sexennium rexerat: inde à patriæ suæ senatu ad instaurationem atque amplificationem gymnasii *Gorlizenfis* accersitus annos quindecim augustæ illi scholæ præfuerat atque in id eam



Vide
 Melch. A-
 damum
 in vitis
 German.
 phisof.
 p. mihi
 325.

fastigium surrexerat, ut magna discentium accessio-
 ne indies augetetur. Vidisses ad eam confluentes
 ex parte altera *Boruffos & Polonos*, ex altera *Germanos
 & Bohemos*, incensos omnes amore studiorum & fa-
 ma *Meisteri*. Cujus ab ore ita pendebant, ut, cum ex
 hoc munere *Bremam* discederet, Nobilissimorum ju-
 venum nihil longissimo itinere absterritorum coro-
 nâ stipatus urbem ingrederetur. Dicitur non potest
 quanto cum gaudio cives novum hunc exceperint
 hospitem, non frustra ominati, quòd hoc ipso suo do-
 no benignissimus Deus testari videretur, se ecclesie
 suae hospitium diutius conservaturum, cum scholas re-
 ctè constitutas seminaria ecclesie & reipublice &
 spem præcipuam esse pie, erudite & honeste poste-
 ritatis crederent. Sic Deo favente die XIII. no-
 vembr. in cathedram à Reverendo pl. D. *Christophoro
 Pezelio* introductus *Meisterus* & publicæ scholæ Re-
 ctor renunciatus in consulum, syndicorum, senato-
 rum, ministrorum ecclesie, aliorum virorum specta-
 tissimorum & totius cœtus scholastici consensu heroi-
 co carmine inaugurali fidem & industriam promisit
 atque operarum in nova hac statione præstandarum
 cum Deo initium fecit. Magnificus verò lenatus, ut
 in propatulo esset se officium Rectoris non pædago-
 gicæ sed publicæ & illustri scholæ *Meistero* & simul
 coërcitionem exorbitantium ejusdem civium eidem
 & col-



& collegis demandasse, è manu viri consultiſſimi, *Henrici Haukenii*, tum ſecretarii poſtea ſenatoris, iudicis, tandem & *Cos. claves auditorii, conſiſtorii ſcholæſtici & carceris*, inſuper *tabulas legum ſcholæſticarum publicè priùs prælectarum, ſigillum & matriculam omnium in conſpectu ritu ſolemni novo Rectori tradi curavit.* Qui ex hoc die publicum munus aggreſſus eſt, adjuſtus in publica ſchola VI. collegarum operâ, *Chriſtophori Pezelii* doctoris Theologi, *Casparis Alteneichii*, J.Cti, *Johannis Ervichii*, Medici, *Henrici Oldenburgii*, *Hermanni Remmcheri* & *Joſephi Grabii*, philoſophorum ac philologorum. In ipſa functione licèt moleſta & gravi nullos in interpretandis optimis authoribus atque formanda compenſendâque juventute fugit labores, ſed firmiter in ſtatione iſta tanquam in acie, in quam à Deo ſe collocatum ſciebat, uſque ad vitæ finem perfeveravit, ſcholæſticæ conſervandæ diſciplinæ vindex atq; arbiter acerrimus, induſtriæ excitator vigilantiffimus, ſocordix contrâ atq; inertix profligator impatientiffimus. Nec verò Liceo duntaxat ſolenter gubernando, ſed & ſcriptis eruditè doctis atq; poëmatibus antiquâ poëtarum gravitatem atq; ſublimitatem redolentibus in lucem editis famam atque exiſtimationem & ſui & ſcholæ magnopere auxit. Quæ inter exſtant carmine pleraque heroico ſcripta, *de Eva; Chriſti nativitate; Ingreſſu Cæſ. Rudolphi in urbem Gorlizenſem a. 1581. Melan-*
thone

ihone, cujus defensor erat acerrimus, panegirici duo; item soluta oratione, de Eutyche & ejus erroris sectatoribus ab origine ejus sectæ sub Theodosio usque ad Justinianum Augustum. Utinam verò tanto Gymnasiarcha patriæ diutius frui licuisset! Dum enim Curis acuit juvenilia corda, Nec torpere gravi patitur sua regna veterno, vir in laboribus scholasticis felicissimè verlatus atque excellentissimis ingenii ac virtutum donis perornatus, febri ardenti & continua corripitur, quæ piam atque eruditam animam ipsi extorsit, cum scholam hanc tres tantum ultra biennium menses rexisset & annos quinquaginta quatuor mensésque tres vixisset; amplissimo funere elatus atque in æde B. virginis sepultus hocce cum monumento: *M. Joachimus Meisterus Gorlizensis, poëta & orator Clarissimus, Bremensis scholæ Rector. Obiit die X. Februarii anno M. D. LXXXVII.* Verè autem, quod Epicharmo scripsit epitaphium Theocritus, huic meritissimè accinimus: Πολλὰ γὰρ πρὸν ζῶντις παισὶν εἶπε χρίσματα, μεγάλα χάρις αὐτῷ. *Utilia ad vitam pueris quia plurima dixit, Magna illi habenda est gratia.* Defuncti laudes Gorlitzii cecinit præceptoris optimi optimus gratissimúsque discipulus, *Abrahamus Scultetus, Grünbergensis, famigratissimus postea Theologus, die Julii ejusdem anni XXII.* Ipse Nathan Chytræus post aliquot annos templum Marianum ingressus atque monumenta *Euricii Cordi, Molani & Meisteri* contemplatus hocce

Georg.
virg.

hocce honoribus illius ædis & horum in ea sepul-
 rum carmen pepigit.

Gemma velut lapidem superat bonitate molarem,

Ingentem licet & non parva mole gravatum:

Sic parva hæc ædes Mariæ est, si cætera passim

Templa adeas alibi. Sed cum capiâtque tegâtque

Ingenio ingentes, fama, arte & laude celebres,

Meisterum, Euricium, notum & pietate Molanum

Compluresque alios, magno vel majus habendum est,

Cum parvo tot magna insint, totque ampla pusillo.

Eos inter qui publicè docendi partes cum Meiste-
 ro susceperunt primum meritissimè nominavimus
 CHRISTOPHORVM PEZELIVM, S. Th. D. & Prof. P. Pa-
 tria illi *Plavia* fuit, oppidum comitibus Ruthenis in
 Vogtlandia, Misniæ parte Bohemiæ contermina, pa-
 rens. Bonis ille literis, in quibus id temporis maxi-
 ma eruditionis gloria idque non immeritò poneba-
 tur, tinctus in academia *Wittebergensi*, tum omnium
 celeberrima, cui oratione de miraculis, quæ in generatione
 hominis elucent, habita semet commendaverat, *Plavi-*
ensi scholæ annum unum alterumque præceptor pri-
 marius in servit. Inde *Wittebergam* postliminio rever-
 sus tantos in theologicis fecit profectus, ut summis in
 iisdem honoribus doctoralibus coronaretur, imò ad
 professionem publicam theologicam subeundam,
 proveheretur. Gliscebant tum acerrimæ inter Eu-
 angelicos theologos lites, De necessitate honorum operum,



Tom. VI.
 oration. in
 acad. Wit-
 teb. recita-
 tarum. p. D.
 ult. An.
 1565.

ad salutem, Viribus liberi arbitrii & Corpore doctrine Phi-
 lippi; Electorales Theologi, Lipsienses & Wittebergen-
 ses, placitis Melanthonis præceptoris sui, illius in Germa-
 nia Phænicis, adhærebant quos cryptoCalvinistas &
 variatæ confessioni Augustanæ addictos adversarii
 vocabant, contra Thuringicos, & Flacium Illyricum,
 Brentium, alios. Res componi inter theologos non
 potuit prius, quam Augustus Saxonæ Elector ad par-
 tes Thuringicorum Lutheri doctrinā strictius, ut jacta-
 bant, tenentium tractus articulos quosdam Torge
 scribi curasset, hoc annexo mandato ut consensum &
 subscriptionem recusantes Theologi, tanquam Cal-
 vinianismi fautores, ecclesiarum Scholarumque præ-
 fecturis & consistorialibus etiam officiis removeren-
 tur. Maluere tum Wittebergensis, Chr. Pezelius, Frie-
 der. Videbramus, Henr. Mollerus & Casparus Cruciger
 secundus, suas provincias quin & biennio post electo-
 rales ditiones, quam veritatem deserere. Pezelius &
 Videbramus ab Illustrissimo Nassoviæ comite beni-
 gnè excepti sacris officiis admoti sunt: è quibus sta-
 tionibus post quadriennium rogatu Ampliss. Senatus
 Bremensis uterque dimissus est, optione Senatui &
 parœcis Ansgarianis relicta, utrum vacanti in æde illa
 verbi ministerio fungendo adhibere allaberet.
 Electus tum Pezelius est & Jodoco Glaneo ob hetero-
 doxiam ab officio sacro remoto ecclesiastes, & tri-
 ennio



3. 1574.

IV. 1581.

W. h. 10
 11. 10. 10
 12. 10. 10
 13. 10. 10
 14. 10. 10
 15. 10. 10

In

M

ennio

ennio absoluto Marco Meningio ecclesiarum reipubl.
Bremensis Superintendenti ad alteram evocato vi-
tam Superintendens successus est. Qua vero Peze-
lius noster pollebat exquisita rerum variarum scien-
tia, quo item superiorum disciplinarum in urbem vo-
candarū amore fervebat, author non solum è præci-
pui fuerat erigendi publici gymnasii, sed & facta il-
lius inauguratione manum laboribus scholasticis ipse
adjunxit & ad *sacrarum literarum, ethices & historiarum*
interpretationem ultrò se obtulit. Id quod etiam sin-
gulari dexteritate, fide & assiduitate in annum vige-
simum præstitit. Cujus rei testes sunt *VIII. tomi uni-*
versa theologicæ è scriptis Melanthonis, libri Ethicorum Phi-
lippicorum & Mellificium historicum, opera in gratiam
etiam exterorum, postquam eximias hæc eruditionis
partes auditoribus suis publicis lectionibus explicas-
set, edita. Exstant etiam *Lucubrationes ejus in Mosis,*
prophetarum principis, Genesim. Libri 3. epistolarum Melan-
thonis & Libellus precum ab eodem editi. Cūque ec-
clesia nostra errorum quorundam religionem con-
cernentium ab adversa parte immeritò insimularetur,
Pezelius, cujus humeris respondendi onus potissimum
incumbebat, scriptis eruditissimè masculè eidem re-
stitit. Unde polemica plurima jam prætereunda pro-
dierunt. (a)

(a) Inter ea sunt: *Demonstratio imposturarum & fraudum, qui-*
bis Agid. Humius pro defensione dogmatis Ubiquitarii pugnat (1587.
Bremae

Neostadii
Palat.
1583. a. 84.
87.86.
Francof.
1628.

E quibus vel hoc patet, vitam doctoris vigilantissimi cum in ecclesia tum schola Bremensi perpetuam fuisse contra intempetivas saepe etiam malignas adversariorum impetitiones pugnam & dimicationem. Verum cum bonam illam militiam militasset & concionatoris munere diebus solis in aede Ansgariana, Mercurii verò Mariana, in annum usque 1598. ab hoc

verò
Bremæ in 4.) De cena contra Hoffmannum: Entschuldigung des Ministerii zu Bremen: Widerlegung wider den Auhang der Erfurdischen Apologien. Kurze Widerlegung der zugemessenen Puncten/ in welchen die Prediger zu Bremen ungueltlich bezüchtiget. Defensio Pezelii contra calumnias Selnecceri (Bremæ ap. Bernh. Peters 1592. in 4.) Widerlegung der vermeinten Uhrsachen D. Selnecceri, warumd treue Lehrer nicht sollen unterlassen zu waruen für der Calvinischen Lehre (Bremæ 1591. in 4.) Eine Christliche Erinnerung des Ministerii zu Bremen an die Prediger zu Hamburg (Bremæ bey Bernh. Peters 1590. in 4.) Des Ministerii zu Bremen Gegenerinnerung auf D. Paul von Eitzen Erinnerung von dem Bremischen Buch (Brem. bey B. Peters 1591. in 4.) Gründlicher Gegenbericht des Ministerii zu Bremen auf den Bericht M. Josephi Nafonis (Bremen bey Arend Wessels 1581. in 4.) Abfertigung Jac. Andreae unter den Nahmen der Württembergischen Theologen wider die Christliche Verantwortung der Prediger zu Bremen. (Bremen bey D. Gleichstein 1583. in 4.) Widerlegung etlicher Tractatein und Lasterungen Licent. Hamelmanni (Bremen bey Arn. Wessel in 4.) Ausführliche Erzählung vom Heil. Abendmahl/ vom Sacrament-Streit/ von Joh. Calvino, von denen unterschiedenen Handlungen des Sacrament-Streits (Neustadt an der Hard / bey Wilb. Harisch 1600. in 8.) Tractatus de cena contra Marbachium. Ejus contra Marbachium defensio (Bremæ 1595. in 4.) De SS. Domini cena in Explicatione examinis Theol. Phil. Melancthouis (Bremæ 1589. in 8.) Dictorum fere omnium, que de verborum cena interpretatione citari ex veteribus scriptoribus solent, explicatio (Bremæ 1592. in 8.)

verò in Mariana solùm probè ac fideliter functus fuisset placidè in Domino obdormivit adeptus brabæum vitæ beatissimæ atque ab omni molestia & vitiligatione tranquillissimæ nocte inter 26. & 27. febr. anni hujus seculi IV. ætatis L. XVI.

Ut porrò legum peritia res humanas dispensat & moderatur, ita, ne studia nostra parte necessaria mutilarentur & sanctissima juris religio è pulpitis novi Licei exularet, placuit Senatui ut *CASPARYS AETENEICH*, philof. Dr. vir Consultissimus, ætate quidem provectiore, viridiorè tamen quàm præ annis, Juris utriusque Professor constitueretur. Erat hîc *Coloniensis*, sed nomine veritatis exsul & ut persecutionibus exesset, quas clerus papalis *Hermanno* Electori atque ejus dioceseos Archipræsuli reformationem tentanti omnibusque piis moverat, amplissima illa urbe extorris. *Bremæ* verò aliquot jam annos vixerat commendatus nostratibus à Wittebergensibus cùm ab exquisita eruditione tum vitæ integritate & singulari docendi aptitudine, quam circa annum 1610 L. V. ordinariis Juris Antecessoribus *Schneider* & *Beustio*, in academia Wittebergensi, privatis scholis satis superque demonstraverat. Ergo cum Meistero præmissis solennibus functus docendi munere est, idque tanta cum laude & profectu auditorum, ut non parum celebritatis novo doctrinarum mercatui adderet ipsiusque



Tarnovii
Oratio
in vita
Bacmeisteri p. C. 2.

que opera à legum studiosis avidè expeteretur. In negotiis etiam extra scholam seut bonum civem, virum sapientem & eximium jureconsultum gesit; Publica, quæ reliquerit à morte, scripta præter *Commentarium in institutiones Juris manuscriptum* videre non licuit. Postquam verò per annos unum ultra viginti & ornamento fuerat Athenæo & bene de civibus mereri perrexerat piè denatus nonagenarius est calendis Octobribus anni hujus seculi V.



Sed & cum inter præclarissimas putetur artes *Medica*, occupata quippe in humano colendo corpore, animæ immortalis habitaculo ejusque tutanda sanitate, qua labente nihil tædiosius aut calamitosius homini accidere potest, id opere maximo egerunt urbis summates, ut institutum novè scientiarum diversorium medica etiam professione nobilitaretur. Hanc pro incredibili, quo in schola ornanda flagrabat, zelo in se suscepit vir quâ generis nobilitate quâ rerum multijugâ peritiâ excellentissimus, *JOHANNES ab Ewich / M. D. ac reipubl. ordinarius physicus*; is ipse qui novum phrontisterium inauguraverat. Erat is natione Juliacensis, eo in ducatu jucundus omnibus, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, sed mirifico purioris amplectendæ religionis raptus desiderio relicta patriâ, in qua quietas illa non inveniebat sedes, in Germaniam superiorem atque inde in Italiani stu-

dii medici causâ concessit, ibique tantos in eo fecit
 progressus, ut ejus insignibus ornaretur. Redux in
 Germaniam videbat in conterminis patriæ provin-
 ciis ferrum, exitia, proscriptiones, funestas flammâs
 & fumantes rogos intentari omnibus sinceriores
 religionem amplectentibus. *Bremam* proinde se re-
 cepit, eatepestate Belgarum, qui religioni nomen
 dederant, quasi portum & perfugium. Senatus co-
 gnitâ eminenti *Emichii* doctrinâ Poliatri munus illi de-
 mandavit. Quo per viginti annos laudabiliter jam
 obito suæque in eo eruditionis radiis latè vibratis par-
 tibus etiam docendi *Medecinam* idque rara industria
 & felicitate perfungi cepit, explicatis publicè atque
 examusim artis fontes ex iisdem deductis *Hippocratis*
de natura humana, *Eobani Hesi de tuenda valetudine*, aliis-
 que aureis ejus scientiæ libellis. Publico etiam edi-
 dit bono opuscula, *de officio fidelis & prudentis magistra-*
tus tempore pestilentie rempublicam à contagio præservan-
di liberandique, in solatium ac præsidium civitatis nec
 non vicinarum regionum, quas tum dira hæc lues
 frequentius infestabat: *De Sagis & veneficis ad Am-*
pliss. Senatum Bremensem occasione combustionis
sagarum in vicina Kniphusana dynastia. De baptismo con-
tra quendam anabaptistam variis strophis pædobaptismum
oppugnantem. Cui subjecit responsum ad duas epistolas
Sebastiani Franken/ quibus omnem tam ecclesiasticam quàm
 civi-

Brem. 1784
 in 4. pp.
 17. 18. 19.
 1800.

Neapoli
 ap Matth.
 Harnisch.
 1782. in 8. &
 Bremæ
 1651. ap
 Arn.
 Weßels.

Bremæ
 a. 1762.

Brem. 1584
in 4. ap.
Th. Gleich,
stein.

*civilem politiam destruere allaborat. Hippocratis de natura
hum. cum Hippocratis vite* *Ἱπποκράτης*. Quæ, ut lineamenta
virum cognoscendum dijudicandumque exhibent
iis, quibus mentis oculi ad talia percipienda non de-
sunt. Dolendum verò anno statim ab initio labo-
ris scholastici quarto illum præter bonorum spem vitæ
finem attigisse & obitu ejusdem acerbum admodum
vulnus reipublicæ literariæ inflictum, ad quam juven-
dum ut natus factusque erat, ita in ejus curam eo,
quod apud nos vixit tempore, totis viribus incu-
buit. Vir memoria sempiterna dignus cum propter
rerum humanarum & divinarum, quæ imbutus erat,
scientiam atque imprimis Apollinæ artis studia im-
pensè promota, tum, quæ individua tantorum bono-
rum comes esse consuevit, vitæ sanctimoniam & vir-
tutem minimè fucatam. Ipse sibi ante mortem hoc
epicedion scripsit :

Mortuus hac jaceo modo Janus Evvichius urna,

Qui vivens mortis hostis acerbus eram.

Hoc mihi lethiferum, sed non damnabile, fatum

Progenit primi culpa parentis Adæ.

Nil insperato mihi contigit, ista voluntas

Inviolata Dei, non tua, parca, fuit.

Quare desinite, o nati, vel quisquis iniquè

Fers nostri casum, funera flere mea

Mors hæc vita fuit, nunc vita est altera Christus.

Æterna felix conditioe mihi.

Manes

Manes ejus loquentes ad lectorem lapidis sepulchralis sic introducit *Johannes Grevensteinius* Bremensis:

Quicumque legis hęc, mitte lachrymas, quęso,

Et desine indulgere luctibus tantis

Plangoribusque, cessa ad hos meos tandem

Cineres querelas fundere, atque me noli,

Qui gaudiis cęlestibus fruor, flere:

Sed fletu demens verius tuam sortem,

Qui subjaces plurimis adhuc damnis,

Idcirco mortalibus stude rebus

Æterna curę ut sit tibi domus! vale.

Humatus est in sejuncta seu secreta ædis Ansgarianę parte occidentali, quam scholam æstivam vocamus, sub epitaphio erecto & muro inserto cum hac inscriptione:

Die Som-
mer, Schuel

Nobilissimo atque Ornatissimo viro,
Johanni ab Ewich| Medicinę ac artium li-
beralium Doct. Physico & Professore reip.
& scholę Bremensis ordinario; juris u-
triusque Baccalaureo & sacre scripturę
indagatori diligentissimo; nec non di-
versarum linguarum tam vulgariū
quàm literatarum peritissimo, pietate hu-
manitatęque singulari: charissimo paren-
tihęredes Φιλοσοφίας ergo hoc M. P.

Die
die

Natus annos LXIII, obiit A. salutis
1588, d. 7. mens. febr. N At-

Atque hi fuere superiorum, quas vocant, facultatum constituti P. Professores? Ne verò studiis dicata juvenus temere & velut illotis manibus in sacraria earundem irumperet, eidem necessariis ad miniculis, quibus absque vel nunquam vel difficulter ad earum fastigia ascenditur, prospiciendum prius esse Senatus censuit. Tam ergo philosophiæ quàm linguarum doctores nominandi fuere. Uti enim nemo sine linguarum notitia vel divinarum vel Romanarum legum codicem aut medicorum etiam placita cum fructu legit; ita philosophicæ scientiæ multum conducunt ad acumen ingenii comparandum, ad virtutum igniculos naturâ ingentos excitandum, ad terminorum quorundam explicationem, ad rectam controversorum problematû perceptionem & expeditam ad verlariorum refutationem. Optimè Augustinus, patrum eruditissimus, Licentium suum informans;

lib. I. de
ord.

Eruditio disciplinarum liberalium modesta sanè ac succineta & alacriores & perseverantiores & certiores exhibet amatores amplectende veritati, ut & ardentius appetant & constantius insequantur & inhereant postremo dulcius. Inde qui progymnasmata hæc tractarent tres Rectori adjuncti sunt, quos inter primus erat HENRICVS OLDENBURGIUS, liber, artium M. supremæ curiæ ab anno 1562. collega primarius & Meisteri tempore corrector. Habita ille solenni pro felici primordio oratione physicam

7. b. 88 sicam

sicam & mathesim docuit. In qua superioris simul & interioris scholæ provincia adhuc per annos quasi XVI, constantissimè permansit laboribus in erudienda compescendâque juventute tantâ industriâ exantlatis, ut ob singularem illam virtutem atque invicto pectore devoratas in scholastico illo turbine molestias Senatus à Meisteri obitu ad Nathani Chytrai accessum *Rectoris* elogio nec non *Canonici* ad S. Stephanum beneficio ipsum condecorandum censuerit; quem honorem collegæ capitulares ejus ecclesiæ ob insignia viri merita eminenti *Præposituræ* dignitate auxerunt. Tandem accepta trienniali ante obitum rude piè obdormivit sine anni supra millesimum sexcentessimum tertii.

Alter erat *HERMANNVS RENNECHERS*, natione, ut opinor Westphalus, varia eruditione imprimis theologica non vulgariter imbutus. Hic cum *Bremam* famâ erigendi in ea gymnasii adductus hoc tempore venisset publicis professoribus ascriptus & ad docendum linguam Hebraicam constitutus est; quam quidem Spartam dextrè & amplo auditorum cum fructu exornavit, at, ut vagabundus erat, non ultra biennium. Secesit siquidem *Groningam*, ubi se honestè acceptum & liberaliter tractatum asserit: inde *Lugdunum Batavorum* amore videndi viros isthac in academia & vicinis locis degentes toto orbe clarissimos,



Præf. tract.
de regene-
rat.

Ep. XIII.
Cent. II. 3.
Non. Oct.
anni 1586.
in alia edit.
Decad. III.
epist. VII.

simos, Janum Doufam, Justum Lipsium, Dominicum Baudium, Janum Gruterum, Abrahamum Ortelium, alios: qui præsentem Rennecherum foribus amicitiae patefactis in amicorum numerum ac jucundam familiaritatem cupidissimè receperunt; at à Lipsio Oldenburgi ob equites Belgas circumjacentem agrum & loca vicina persultantes invitò detento atque duriolem victus rationem ægrè ferente ab inconditis moribus epistolâ ad Doufam hisce notatum: *In Schytarum eremia mihi videor, nec inter homines satis certò. Omnes hîc Suillii, Scrofae, Porcii, & uno verbo tui Hermannii (Rennecherum nostrum indigitat) ô Batavia, ô amici! vos mihi in mente & ad vos asspiro. Scribo in Barbaria apud pultiphagos. Lugduno Heidelbergam noster hic postea vocatus s. linguam cum applausu docuit circa annum superioris seculi XCVII. Verùm & hanc pro levitate sua deseruit stationem Leidam repetens eo tempore, quo Jacobus Arminius sub initium hujus seculi, semipelagianismum in ecclesiae scenam revocare annitens eidem turbas movit. Referunt Hermannum nostrum tum ab Arminio hisce verbis exceptum, *Habes Rennechere, Mercurium in pedibus, respondisse, Et tu, Armini, diabolum in capite.* Cæterùm insignem eruditionem satis demonstravit libellis non tritam literaturam sapientibus in publicum emissis. Inter quos leguntur, *Aurea salutis catena de prædestinatione.**

tionem. Quam post sexennium Scripto didascalico & apologetico defendit. De veritate carnis Christi contra Ubiquitarios, quem librum scito hoc versiculo quendam suorum adversariorum pungens claudit: *Ne pereat Flaccus cæloque exclusus oberret, Salvificum Christi corpus ubique locat.* Expositio c. LIII. Esai. De regeneratione. In Psalm, CXXIX.

Hannov.
1597.

Hannöv.
1596. 1597.

Lichæ
1600.

Tertius denique, qui tamen paulò seriùs accessit, fuit JOSEPHVS GRABIVS. Auerbacensis, Theologus & philosophus non infimæ classis, ad hæc illasve eruditionis philosophicæ vel philologicæ partes prore nata docendas electus; *Vn*, quod de ipso fert testimonium Cl. Pezelius, *longo tempore in præcipuis Germaniæ academiis versatus, acuminis ingenii, doctrinæ eruditione, judicii rectitudine & differendi ac disputandi facultate præclare instructus.* Hic, cum annos aliquot eximia laude ac diligentium fructu in vicina urbe *Stadensi* rectorem scholæ egisset, ad professionem P. Gymnasii nostri vocatus est. Spes quidem ipsi facta erat obtinendæ apud nos Rectoris provinciæ, sed quòd *φίλονεικίαν* quæ pestis scholarum est, à quibusdam suspiceretur, eadem excidit munere professoris contentus, quo etiam in variis tam sacræ quàm scholasticæ eruditionis partibus optima fide & industria functus est; *Rennechero* hac in parte eò majori dignus laude, quò in munere hoc diutius substitit; siquidem ipsum adhuc P. Prof.

Præfat. refutationis Ubiquet. contra Ægidium Hunn. 1587 Bremæ.

Vid. Orat. in Obit. Hunnii p. 16.



Scholæ nostræ *Henrico Haukenio* ad consulatum men-
 se Julio a. 1610. euecto carmine elegiaco typis ex-
 presso gratulatum legimus. Præter parva quædam
 opuscula *De imagine Christophori; Carmen protrepticum ad
 lectionem Rhetorices Philippi; Capita quædam de appella-
 tione Christi &c.* edidit, qualia illa tempora flagitare
 videbantur, *De sacramentis libellum contra Ægid. Hun-
 nium, qui Libro questionum & responsionum de persona Chri-
 sti Christi omnipræsentiam confirmatam cupiit.* Item
*Antonii Arimatbæensis nomine Isagogen thesibus Hunnianis
 jam olim Marpurgi sparsis oppositam.* Quos libros nec
 intempestivè nec indoctè scriptos existimant eruditi.
 Inde *Cl. Pezelius:* *Quia nihil hætenus ab aliis in hoc ge-
 nere editum ad manus nostras pervenit & negotium tamen
 ipsum ad ecclesiam universam & singula hujus membra
 pertinet, author atque hortator sui viro doctissimo, M. Jo-
 sepho Grabio, ut propter gloriam filii Dei & publicam ecclesie
 & scholarum utilitatem refutationi libri Hunniani altera
 jam vice editi manum admoveret.* Et post: *Laborem il-
 lum successivis horis, Deo juvante, sic consecit ut & benefici-
 um Dei grata mente agnoscendum sit, & ipsi quoque Grabio
 gratia debeatur à candidis lectoribus pro navata hac opera
 ecclesie, quæ viam aliis aperuit evolvendi minore cum labo-
 re & extricandi se ex labyrinthis errorum Hunnii.* An
 verò abitus ex hac urbe an obitus viri diligentissimi
 huius

huic suae functioni finem imposuerit, explorare nondum licuit.

Recensuimus superioris scholae doctores, quibus merito subjungimus, qui paedagogicam adolescentiam ad superioris commatis artes percipiendum idoneam formavere. Hi erant praeter *Henricum Oldenburgium* jam laudatum sequentes IX. *DITERICKS UCHTEMANNVS*, annos integros quinquaginta praceptor fidelissimus & custos disciplinae accuratissimus. *REINERVS LANGIVS* Bremensis, philosophiae M. vir eximius admodum & ad altiora natus, a quibus quum in patria quorundam invidia impediretur, è collega scholae nostrae *Rektor* primùm *Corbacensis*, postea *Stadensis* factus est. Qua in statione tanta non praeclearae solum indolis atque eruditionis scholasticae, sed & civilis quaesitae prudentiae ac rerum dexterae peragendarum solertiae edidit specimina, ut *Syndici*, mox etiam *Consulis* dignitate à *Stadensibus* honoraretur; in qua munia obiit gravissima atque legationes ad *Imperatorem*, *Britanniae magnae Monarcham* in negotio stapuli Anglicani post obitum ejus ad *Hamburgenses* devoluti, nec non ad *Regem Daniae*, magno inclytæ ejus urbis emolumento. Sequuntur hunc *BUNINGIVS Buningus* / *SIMON von der Ucht* / *JODOCVS HOFFMEISTERVS*, cantor, post ecclesiae S. Johannis apud nos, denique & *Ansgariana* pastor, *LAVRENTIVS ROHTBAAR*, *et alij qui non sunt.*



JOHANNES DAVEMANNVS, DAVID POMERSHEMIVS & CHRISTOPHORVS STENIVS. Et porrò ab anno 1587. discedente ad ampliorem doctrinarum faciendum messem in academias Laurentio Robtbaar (pastore postea Wasserborstano, denique & Flögellensi) superioribus adjuncti sunt, quorum informatione mihi puero uti adhuc contigit, BERNHARDVS SCRODERVS, è scholæ Antvverpiensis reformatæ collega Bremensis, poëta non inelegans, & RICMARVS STRYKMEIERVS.



Habetis, *Auditores*, totam Athenæi novè instituti faciem; cui cum viri tam eruditi omnique virtute & fide eminentes præfuerint, prodire ex illo, Deo labores fœcundante, non in urbem solùm patriam, sed & circumjacentes provincias sexcenti nobilitate, virtute ac doctrina excellentes viri, quorum industria non in privatis duntaxat muniis, sed imò publicis cum ecclesiasticis tum politicis aliisque functionibus abunde spectata fuit.



Ut verò omnium rerum vicissitudo est, ita factum ut obitu insperato *Meisteri* & vertente anno *D. Eryichii* nitor florentissimi gymnasii nonnihil obscuraretur. Maximopere quidem quæsitus est defuncto Reëtori subrogandus, at, quæ cœli felicitas est, ut occidentibus atris lucidioribus aliis alia suborian- tur, ea obvenire nobis non potuit; neque enim, cui
tam

tam ardua committeretur provincia, aut qui oblatam amplecteretur, habebatur. Tentatus est ad suscipiendum universæ scholæ regimen *Henricus Oldenburgius*, sed, quòd humeros suos ei ferendo oneri impares existimaret non nisi inferioris moderamen subiit. Rediit verò ad patrios lares anno 1589. *JOHANNES ESYCHIVS* Bremensis, Cos. filius: is ingenii bonitate, industria *Molani* & ineffabili exteris in academiis adhibita diligentia tantam sibi acquisiverat eruditionis laudem, ut ex eruditis juvenibus nemo nisi hic *Lugduni Batavorum* reperiretur, qui ad *Mauritii Nassovici*, Arausoniensium Principis, post magni illius & immortalis famæ Belgici *Achillis*, ingenium formandum atque civili scientia imbuendum dignus haberetur. Idem eodem anno *Athenis Basileensibus* lauream S. Theologiæ, brabeuta *Johanne Jacobo Grynaeo*, celeberrimo theologo, applaudentibus *Hippolito a Collibus*, *Vobrado a Plessen* aliisque viris erudito orbi æstimatissimis, impetraverat. Huic, cum multijugarum scientia, multis animi præclaris dotibus & linguarum cognitione in lucem emerisset seque ipsum inter summos viros collocasset & patriæ magno jam ornamento esset, obtulit Amplissimus Senatus *Rectoratum* à *Meisteri* obitu vacantē unà cum professione publica Theologiæ aliarumque eruditionis partium, quibus inservire scholasticæ juventuti posset. Sua sere

O

ut



Epif

Epist. excusa & disp. E-sych. præmissa.

ut conditionem acceptaret, amici interque eos ipse magnus *Lipsius* literis ad *E-sychium* eâ causâ peculiariter missis ut vocationi obtemperaret hinc seridò adhortatus est: *Saluum, mi E-sychi, è legatione Danica te rediisse valde mihi gratum. Frueris nunc patria, fruatur illate, si accipis, quæ de publica functione honestè & amicè offert. Et accipies, si me audies. Hic finis studiorum tuorum esto, prodesse. Tot jam anni consumti in discendo, legendo & animo optimis artibus implendo. Tempus, ut ea efferas & in aliorum usum promas. Quorum a. prius aut potius quàm civium? Itaque vocem patriæ tuæ audi, pare & ad magnum munus te para. Munus verè magnum & altum, si id æstimes non à vulgo sed à sese. Dei administer & interpret eris, edissertor sacri illius diviniq; verbi. Et. Salve, mi E-sychi, & amatum te à nobis amari & amandum porrò scito. Salutem à me officiosè dicit Dn. Doctori *Pezelio*, magno viro imò unico ornamento. *Lugd. Batavorum*. Verùm enimverò, quòd semel vir eruditissimus constituisset, se vitam omnem laboribus scholasticis iisque molestissimis non impensurum, professionem quidem *P.* & simul inspectionem sive directionem publicæ scholæ sibi imponi passus est, at rectoratu scholæ pedagogicæ relicto *M. Oldenburgio*, utroque tamen stipulante, ne ille ad inspectoris, hic verò rectoris obendum vices ultra obligaretur, quàm de uno rectore universæ scholæ prospectum esset. Sic munus docend*

cendi atque regendi juventutem superioris ordinis aggressus est *Eychius*; quo in exquisitam non solum industriam, maturam virtutem atque doctrinam suam præstantissimos quosque quâ sacros quâ profanos etiam scriptores interpretatus auditoribus aliisque apprimè probavit; sed & elaboratis pulcherrimis ingenii fœturis, *Arte Grammatica: Analysis, tabulis & notis in officia Ciceronis: Prodrōmo historiæ de republ. Bremensi*, quo aliorum de statu Reip. Bremensis scriptis facem prætulit, non incelebrem gymnasio famam conciliavit. Unde & *Canonicatu* ad S. Stephanum & parochiæ *Depstedianæ* (quem tamen cœtum per vicarium docuit) cui reliquarum *Bederkseanæ Satrapiæ*, tum urbi subjctæ, ecclesiarum inspectio annexa erat, laudatissimis redditibus à Magnifico Senatu donatus est. Sic superior quidem schola suo inspectore, inferior suo gaudebat rectore, leges latæ sunt & publicè excusæ de scholæ sustentatione atque gubernatione, docentibus ac discipulis, classium ac lectionum per easdem partitionibus, privatis collegiis ac pædagogis, disciplina & contumaciæ coercitione, examinibus denique atque promotionibus; non tamen, quòd applicare se totum curis scholasticis nollet *Eychius*, consilium ex voto cessit; adeò ut consentientibus universi ordinis senatorii suffragiis decretum devocando uno utriusque scholæ rectore, ætate & auctoritate

ap Bernh.
Peters
1591.



ritate gravi, ad juventutem ingenuam rectè erudiendum & gubernandum, nec non ad operas collegarum moderandum idoneo, non semel in senatu, pro eximio in Athenarum studio, repeteretur.

Vivebat eo tempore *Rostochii* *NATHAN CHYTRÆUS*, *Menzinga-Würtembergicus*, quod oppidum est ad quartum ab Heidelbergâ lapidem distans, *Davidis* theologi longè celeberrimi frater, philologus & poëta non è multis, ea in academia & urbe poëseos professor & pedagogearcha. Is quòd *Melanthonianis* additus esset partibus & religioni reformatæ inde nomen dedisse crederetur, durius eo in loco à rigidioribus theologis habebatur. Innotuit hæc viri optimi calamitas *Danieli Burenio* secundo, reipubl. patriæ Cos. ab herico in orthodoxiam zelo etiam exteris regnis noto, ejusque in scholarchatus munere collegæ, *Christiano Stedingio*, itidem Cos. viro, si quis fuit ailius, de schola meritissimo: qui cum voluntatem *Chytræi* de migratione ad nos propensam atque per *Elychi* literas exploratam Senatui retulissent, vocatorias ad rectoratum vacantem peculiari nuncio *Nathan* deferendas facile impetrarunt. Quas ille, Deo sic dirigente, opportunè eo ipso tempore accepit, quo vel cessurus suis in aula & urbe persecutoribus, iisdem actoribus, testibus, iudicibus & penam etiam exsecutoribus, functionem resignare in animum

num induxerat, vel metuenda ipsi erat ea ex academi-
 a, cui annos ferè triginta inservierat, dimissio. Qua-
 re lætus oblatam vocationem post varias, ut alicubi
 loquitur, pii exilii exantlatas molestias amplexus est
 atque ad eam capessendum *Rostochio* cum familia e-
 gressus *Bremam* tanquam ad *Halcyonia* a. clo b | CIII.
 die XII. Julii ingressus est, quo ipso tamen die patro-
 num suum, *Cos. Burenium*, sepulturæ mandatum non
 sine animi dolore expertus est. Urbem intrantem,
 hac ode à se desideratissimum Rectorem, veterem,
 & constantem amicum suum, excepit *Elychius*:

Albo lapillo digna dies, Natban

Chytræe, caras fœdere dexteras

Warni ad Rosetum, quâ perenni

Junximus Aoniis in hortis.

Nam si ve Myrti me juga, leniter

Currente Nicro; seu scopuli Jovi

Juræ minantes ad fluenta

Spumea habent Rhodani, atque Rheni;

Seu fumus almae me patriæ juvat

Inservientem Gymnasio, & gregi

Sancto; Chytræi mi susurrant

Sua ve melos lepida Camæna.

Hoc aure captans, cum sol vi gravis

Vellet senectâ dux scholici gregis:

Hem, inquam, quid occidatis, alis

Sub gravioere onere ingementem?

Tritum tot annis solvite, solvite,

Balbutienti qui Latium mihi

Formavit os, Rector, cujus

Tempore crescit honos Molano.

Henr. Ol-
denburg.

Ve-

Verum, quid in me lumina vertitis?

Servate templis, tempora laureâ,

Cujus pudet plerosque, vinctum;

Et schola erit mea tum voluptas,

Rectè juventam qui regat, ea meum

Vobis Chytræum, pseudopie cui

Convertit in spinas acutas

Cæca rosas temerario ausu.

Ille erudito quas modulamine

Sex sena vixit celsa sub æthora

Per lustra, Romanis Pelasgis

Litterulis poliens juventam.

Ille est, notavit quem mea spes, Patres

Nostis, coactus cum subii hoc onus,

DONEC DUCEM DESIDERATUM

OMNIPOTENS DARET, en Nathanem.

Sed quid moror vos? Pezelii virum

Facunda viriis lingua coloribus

Depingit: en, quis non recurvo

Noverit ungue satis leonem?

Donate nobis cœlitus, ô Nathan,

Leta secundo jam cape Numine

Felix juventæ frena Rector

Esychiumque sibi redona.

Invitantur omnes honorati reipubl. Bremensis ordi-
nes ad audiendum novi Gymnasiarchæ orationem
inauguralem die XVIII. sept. habendam idque hoc
Esychii programme:

Corruere in peius Lysias cum cuncta videres

Et cuperet patriæ ferre desertus opem;

Infor-

*Informandum Epaminondam, ad sublimia natum,
Suscipit; atque per hunc omnia restituit.*

Curia pulchra tibi cordi est? Ecclesia cordi est?

Macte, scholis, per quas omnia salva, fave.

Qua si vis penitus facilis cognoscere, Lector,

Ne grave sit nostræ tectæ subire scholæ.

Tectæ scholæ reparanda novo Rectore, Chytræo,

Ad cujus laudes non facit hoc schedium,

Octavam attigerit cras sol ubi splendidus horam.

Salve, ut Rectori Gymnasiique faves.

Introducitur Clariss. vir in publicæ scholæ cathedram à Pezelio superintendente, officium rectoris ipsi commendatur: ipse verò rector ad operas in nova hac officina deinceps præstandas aditum paraturus De laborum scholasticorum & juventutis magistrorum dignitate & felicitate graviter & tersè dicit, precatus studiis futuris divinam benedictionem & pollicitus magistratui obsequium atq; operam indefessam, collegis amicitiam & lenem conversationem, auditoribus juvandi studium & paternum amorem, reliquis deniq; ordinibus debitam cuiq; observantiam & officiû. Ita bono cum Deo labores commissos aggressus est cooperantibus in publ. schola collegis tum superstitibus quinq; Pezelio, Erychio, Alteneichio, Oldenburgio & Grabio; novis insuper quatuor, Tobia Pezelio S. Th. Lic. Eberhardo Bornhorstio J. U. D. Wilhelmo Vosio & Luca Majo; in pædagogica verò jam antè nominatis. Rector functionem orsus Latinas Græcâ; que literas strenuè docuit;

cuit & cum ipse juvenis ad conquirendū undiq; quic-
 quid in pretio eruditionis est, regiones & scholas no-
 bilissimas perlustrasset; in Germaniā *Wittebergensem*,
Lipsiensem, *Heidelbergensem*, *Tubingensem*, *Francosurtensem*;
Haffniensem in Dania, *Lovaniensem* in Belgio, *Pa-*
risiensem in Gallia, *Oxoniensem* in Anglia, *Basileensem* &
Tigurinam in Helvetiis; in Italia deniq; *Patavinam*, *Ve-*
netan, *Ferrariensem*, *Bononiensem*, *Florentinam*, *Pisanam*,
Senensem, *Romanam* & *Neapolitanam*; cumque magnam
 ætatis partem anni 1567. cum *Georgio Fabricio*, felicis-
 simo ingeniorum formatore, *Misene* transegisset eam
 ob causam maxime, ut docendi rationem, quā opti-
 mus magister utebatur, exploraret; cumque ab annis
 triginta auditoribus tradere optimos quosque aucto-
 res, oratores, historicos, poetas, Latinos, Græcos, ce-
 pisset & docendo plurimum semper profecisset, ha-
 buit in promptu haud vulgaria, quæ cum iisdem com-
 municaret; & hoc sedulo egit ut & recta nec quic-
 quam triviale ex editiore loco doceret. Quā ergo
 eruditus erat, solidam variarum rerum ac linguarum
 scientiam; quā mores hominum multorum vidit & urbes,
 prudentiam & morum concinnitatem; quā pius, Nu-
 minis reverentiam & orthodoxiam suis alumnis inde-
 sinenter inculcavit. Laudem ergo magno suo me-
 rito inde obtinuit præclarissimam. Quanta verò
 eruditionis poeta & polyhistor exstiterit vel scripta
 poste-

posteritati relicta, quorum catalogum ut jam pertexamus hora non patitur, luculentam admodum fidem perhibent. (a.)

Tandem cum piam hisce in terris & Christiano milite maximè dignam militiam militasset, veræ beatitudinis cupientissimus mortale & caducum, in ipso

quod
(a.) Scripta illa sunt vel è peregrinis linguis translata: *Galateus de moribus*, ex Italica. (Hanov. 1592. & Francof. 1637.) *Geistl. Betrachtung vom Zustand der Kirchen Gottes / aus Sim. Goulardo verdeutschet* (Herborn 1593.) *Abrahams Opfer mit andern geistlichen Comedien / aus dem Französische* (in 12. Herborn 1595.) *das kleine Martyrbuch / aus dem Französische* (Herborn 1608.) *unterschiedliche andächtige Gebets-Formulen / aus dem Französische*. Vel proprio studio elaborata. *Commentariolus & explicationes locorum difficilium in Terentii Adelphos* (Rostoch. 1577. in 4.) *Variorum in Europa itinerum delicia* (1606. Herborn.) *Viaticum itineris extremi* (Herborn. 1608. & 1623.) *Fastorum libri XII.* (Hanov. 1594.) *Poëmatum libri præter sacra XVII.* (Rostoch. 1579.) *Cosmoscopia Christianæ gustus* (Bremæ Typis Bernh. Petri.) *Carmina natalitia varia* (Bremæ 1595. Servestæ 1596. Bremæ 1597. in 8.) *Imaginum & meditationum sacrarum libri III* (Rostoch. 1573.) *Grammatica.* (Bremæ) *Carminum sacrorum variis occasionibus scriptorum appendix.* (Bremæ 1597.) *Christliche Glaubens Bekantniß. Item / von seinem Abzug von Rostoch / (Bremen —) Die letzte Hinfahrt.* (Havan 1613.) *Nomenclator* (Rost. 1582. Bremæ 1617.) *Nota luculenta in Epist. Cic. ad Q. Fratrem.* (Hanov. 1608.) *Emilii Probi seu Corn. Nepot. liber* (Francof. ad Moen. 1577. in 4.) *Doctrina de pathematis ex Aristotele explicata. Collectanea in psalterium Buchanani* (Herbornæ 1608. in 12.) *Exercitationes Styliæ rudite ad Prisciani ex Hermogene progymnasmata conformata* (Bardi Pomeraniæ 1592.) Edidit etiam *Bernbardi Morlanensis poem. Rythm.* (Bremæ 1597.) *Gnomologiam Rythmicam* (Bremæ 1598. in 8.) *Carmin protrepticum, summam doctrinæ Christianæ & confessionis fidei suæ complectens.* (Bremæ & Herbornæ 1608. in 8.) *Hodæpericon* (Rostochii 1568. in 8.) seu *Itenera varia* (Bremæ 1616. in 12.)

quod fuit, in terris animâ coelos penetraturus posuit a,
 cl^o 151 CVIII. d. XXV. febr. sepultus propter baptiste-
 rium ædis B. Mariæ Virginis.

Cæterum ut in hac cathedra ipsius rectoris, ita
 & collegarum novissimè ad eam promotorum labor
 scholasticus diuturnus non fuit. *EBERHARDVS BORN-*
HORSTIVS ex angustæ quidem fortunæ, sed honestis
 prognatus civibus Bremensibus, J. U. Doctor atque
 Athenæi Genevensis primùm professor, à *Dionysio Go-*
thofredo tum ipsius collega nostratibus maximè lau-
 datus à memoriæ bonitate est, quâ integras è pande-
 ctis juris leges, paginas integras imperturbato pror-
 sus ordine præses disputans recitare absque libri in-
 spectione valuerit. Inde in patriam ad cathedram ju-
 ridicam revocatus diu in eadem non substitit, allectus
 siquidem in ordinem patriæ patrum sine a. cl^o 151 CV.
 Qua in dignitate rem sibi commissam summa fide
 ac prudentia egit: at legatione ad Imperatoriam
 majestatem anno seculi hujus quinto fungens Pragæ
 in morbum melancholiæ hypochondriacæ indeque
 redux in patriam in delirium incidit immedicabile,
 in quo obiit & beatum vitæ miserè ad tempus trans-
 actæ terminum demum obtinuit februario mense
 anni cl^o 151 CIX. *TOBIAS PEZELIVS*, S. Th. L. & *LV-*
CAS MAIVS, ille Christophori Pezelii filius, hic gener;
 ille moralium, hic naturalium professor, ante finē se-
 culi



culi superioris è scholastica ad ecclesiasticam, ille ad
 Bremensem B. V. Mariæ, hic Casselanam vocati ca- 1600.
 thedram scholæ valedixerunt. *WILHELMVS* denique
VOSSIVS, *Westphalus*, summi Osnabrugensis templi
 pòst & Cathariniani pastor ab episcopo ob religionis 1571.
 diffidium dimissus Bremam venit adjunctusque est
Antonio Grevenstein /ædis Marianæ è senio tum va-
 letudinario, cui etiam eodem anno defuncto surroga-
 tus est. Sæviebat anno clò 1577. per urbem
 crudele pestilentiae contagium, quod ut fugeret at-
 que à visitationibus peste laborantium immunis es-
 set, ad linguam Hebraicam publicè in Gymnasio do-
 cendum semet stitit: at non pepercit hominis bene-
 de schola meritori conatui furialis lues sed in cathe-
 dram eum mox secuta è viventium simul & docen- 1598. 8.
 tium numero paulò pòst exturbavit. Jan.

In locum successus *Chytræi* rector ordine IX. *THO-* Brugger
MAS GEPHIRANDER, è comitatu Marcano *Unnensis*, uni- man.
 us semestris laboribus peractis, & habita publicè dispu-
 tatione, de *Capernaitica manducatione à qua excusari neque-*
ant oralis manducationis patroni, cum uxor maritum pa-
 triæ detenta amore sequi nollet a. clò 1571. X. deser-
 ta statione ampliore ad suos rediit & sic finem seculi
 XVI. simul etiam orationis nostræ ferme assecuti su-
 mus.

Quo ipso in seculi termino ex *Uflenensi* schola
 P 2 ad





ad moderamen *Bremensis* ab Ampliffi. Senatu, curâ
Eberhardi Bornborstii, jam laudati, & *Arnoldi Schaar*
haar / Senatorum & Scholarum de gymnasio
 nostro egregiè meritorum, accersitus est *ANDREAS*
WIDMARIUS. Hic Augusto mense a. clc lo C. intro-
 ductoria dicta oratione novæ functionis initium fecit,
 in schola publica collaborantibus *Christ. Pezelio*, *Caspa-*
ro Alteneich / & quem unâ cum *Gerhardo Flockenio*,
 cantore, secum adduxerat, *Joh. Tesmaro* primo: in
 pædagogica eodem *Tesmaro*, *Uchtemanno*, *Davide* &
Jonathane Chytræis, *Nathanis* filii, *Scrödero*, *Flockenio*,
Jo. Molano, *Joh. filio*, *Pomershemio*, *Stenio* & *Strukmeie-*
ro: quibus accessit a. clc lo CIV. *Jonathane Chytræo*
 ad pastorale munus in *Frisiam* discedente, è schola *Dil-*
lenburgensi *M. Johannes Villius*. Cæterum, quòd
 longis attritus laboribus *Oldenburgius* emeriti benefi-
 cium obtinisset, *Epychius* scholæ se abdicasset,
Grabius aliò, ut auguror, concessisset & in exordio hu-
 jus seculi diem suum obiissent *Pezelius* & *Alteneichius*:
 ad scholæ *Svollenensis* gubernacula *David Chytræus*, ad
 parochiam in præfectura *Bederckseana Flögelensem*
Molanus essent promoti: atque in super collegæ reli-
 qui odiis, simultatibus & contentionibus duas in partes
 suis suffultas patronis pertinaciter scinderentur, in pe-
 jus omnia vergere atque in merum idque laceratum
 pædagogeum tota schola relabi visa est. Litigijs
 nempe

nempe eò scholæ recidunt, ut ad umbras potiùs & ca-
 da vera scholarum redactas videas; perinde ut passim
 videmus per infesta arma ruinas urbium & campos,
 ubi illæ steterint. Quod in omni societate *Micipsæ*
 regis apud Salustium dictum obtinet auro contrâ ca-
 rum: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dila-
 buntur*, id omnino in officinis literariis desideratur.
 Probè Basilius: *Tam est opus concordia docentibus, quàm
 sinistra opus est dextra.* Rosam si libeat decerpere, spi-
 narum quod sit, antè manu dimoveas. Spinæ sunt
 in quacunque virtute, & bono quopiam parando vel
 etiam conservando odia & simultates, has proinde
 omni diligentia amoliri oportet. Ablegandæ ergo è
 collegiis scholasticis rixæ sunt ad Centauros & Cyclo-
 pes. Hinc sapientissimus Senatus medelam tandem
 huic malo attulit, dum *VVidmarium*, (è cujus scriptis
 extant Antiproblemata logica,) nonnullorum, ut
 videtur ingratis in statione hac versantem, è scholasti-
 ca in ecclesiasticam B. apud nos Mariæ functionem,
 moveri allaboravit & vitilitigationibus atque odiis
 radicibus sublatis *MATTHIAM MARTINIUM*, virum
 incomparabilem, ad clavum scholæ dirigendum ex
 ecclesia *Emdana* anno seculi X. evocavit. Sed præ-
 stat hîc filere. *Diderici Hoierii* Cos. *Arnoldo Schaar-
 hario*, & *VVilhelmi Bentheimii*, primi, *Eberhardo Born-
 horstio* surrogatorum & à cura scholarum; *Jo. it.*

Tesmari & Jo. Villii de schola tam publica quàm
 pädagogica per annos plurimos optimè meritorum
 magistrorum encomia postea decantabuntur.
 Audiverat aliquando *Pragæ* in horam usque quar-
 tam magistros eruditè & ornatè differentes *Carolus*
IV. Augustus, Aureæ bullæ conditor; hanc moram
 moleste ferebant holoserici ipsius aulici, monentes
 tempus cœnæ adesse & ferè effluxisse: at respondit
 ipsis Imperator: Id minimè mihi videtur; nam sua-
 vior, quàm appositis quibusvis delicatis ferculis, hæc
 præsens mihi cœna est. Me, *Auditores faventissimi*,
 fercula vobis apposuisse, quorum suavitati intentis
 horulæ citato & leni fluxu transiverint, nec dicere, nec
 polliceri mihi audeo; solùm, si modum in dicendo non
 adhibuerim, ut mihi ignoscatis & culpam prolixitatis
 in rem, de qua dixi, conjiciatis, etiam atq; etiam rogo.
 Sed longius, quàm volebamus, in altum provectis
 tempus jubet navem in portum sistere, ac statim scholæ
 per annos XXVI, jam enarrato finem sermoni im-
 ponere.

Salvete verò defuncti *Patres patriæ*, salvete *schol-*
archæ, salvete *doctores* de nostro hoc pietatis & litera-
 rum domicilio apprime olim meriti; qui hujus vitæ
 cœnensi spatium tenetis metam & ex hisce fluctibus
 & impetuosæ tempestatis hieme in æternam tranquil-
 litatem asspirastis. Dum in terris egistis ignorantia
 tene-

tenebris involuti cernebatis per speculum, per anigma
 & ex parte, jam corporis soluti vinculis coram cerni-
 tis. Quicquid hæretici & heterodoxi corruerunt,
 quicquid erravit Plato, quicquid non assecuti Aristo-
 teles aut Hippocrates, quicquid philosophi cæteri aut
 non viderunt aut irriferunt, id omne jam planè intel-
 ligitis & penitus tenetis. Discitis, quàm vanum sit, scire
 illud omne, quo hic tantopere superbimus miseri. Nec
 inturbat jam vestram quietem nec admordet eru-
 ditionis vestræ famam improbæ linguæ rabies. Salvete
 iterū, beatissimæ animæ, & hoc, quod in præsentī vo-
 bis officium solvimus, hanc pietatem nostram, hæc sce-
 rosas, hæc lilia, quæ pro nostra tenuitate sepulchris ve-
 stris aspergimus, grata jucundaque habete. Non
 quidem æra vel marmora in vestros formamus vul-
 tus, sed scripto & facili artificio vestræ memoriæ con-
 sulimus; nec enim mentis pulchritudo ac forma vel pi-
 ctoris manu vel artificio statuarii ostendi potest, sed
 sola oratione figurari. Cineres vestri leni quiete
 fruantur, donec reformato hoc universo orbe perpe-
 tua lux purgatos ambiat. Nos interea vos colemus
 & venerabimur, nec eharior temere aut sanctior no-
 bis, quàm nominis vestri, erit memoria. Valet æter-
 nū, æternū valet, *patriæ & gymnasiū quondam decora,*
 & quem vobis mortuis post tot annorum defluxum
 exhibemus honorem, minimum esse pro vestra virtu-
 te scitote, Ad

Ad vos, Magnifici atque Inchyti civitatis optimates & singulatiim Scholarchæ Nobilissimi, Amplissimi, me converto. Vobis curæ cordique hucusque fuit, ne quid publica schola, insigne hoc civitatis decus, à majoribus vestris instituta detrimenti ceperit. Vos perinde, qui Statores & conservatores illius hunc usque in diem fuistis, deinceps tutores imò amplificatores tam piæ tam salutaris operis estote. Non minorem promeretur laudem colonus, qui agrum fertilem ita pergit colere ne obsylvescat & ad pristinam sterilitatem redeat, quàm qui primus è sterili bonum & frugi agrum reddidit; ita quoque non minori laude digni eritis, *reipubl. Summates*, si agrum hunc scholasticum ita colatis conservetisque, ne ad pristinam ruditatem civitas redeat, nec dies ille illucescat unquam, quo illud à quoquam nobis queat exprobrari; *Tum demum nos agnoscere bona nostra, quum ea, quæ habuimus, amisimus.* Agite ergo, *faventissimi domini*, & nobile hoc opus per integrum seculum à majoribus vestris vobisque sustentatum fovete, atque in pia erga illud animi propensione immoti subsistite. Nos gratitudinem vobis debitam quocunque officii genere omnibus bonis & æquis arbitris probabimus. Nec secutura ætas de vestra in conservando hoc teminario sollicitudine atque benevolentia conticelet unquam.

Et

Et vobis & reliquis presentibus *Domini* atque ho-
 spitibus cujuscunque ordinis Nobilissimis, Honoratis-
 simis, Spectatissimis, gratias, quas animus concipere
 potest, & Dn. Dn. collegarum & meo nomine repen-
 do maximas, quod posthabitis officii vestri curis &
 laboribus non fueritis dedignati hocce in loco fre-
 quentes convenire; fausta illius diei, qua ante secu-
 lum hanc publicam scholam, veluti nobilem foetum,
 enixa est, memoriam grata mente nobiscum recolere;
 indictam festivitatem ornare; Deo cum primis sum-
 mas agere gratias pro inenarrabili beneficio, quo à
 primis ejusdem natalibus in maxima saepe rerum in-
 constantia eandem gratia sua aspiravit, deque opti-
 mistutoribus & magistris eam providit; vestra deniq;
 nostris votis pro felici in aevum subsequens successu
 conjungere. Vicissim vobis nostra officia, nostra
 studia, quovis loco, quovis tempore paratissima offe-
 rimus & pollicemur.

Nostrum porro est, *honorandi Domini Collegae*, pro-
 fessores Clarissimi & paedagogæ moderatores Erudi-
 tissimi, nostrum, inquam, est ut summa, qua Lyceo
 nostro obtigerunt, beneficia gratis animis agnosca-
 mus & re ipsa gratitudinem nostram declaremus;
 nempe ut functioni nostrae omni contentione incum-
 bamus, nec quicquam docendi assiduitate, quod ad
 promovenda juventutis studia & decus & laudem
 gymna-

gymnasii pertinet, intermittamus. Id ipsa officii ratio postulat, pietas præcipit, Amplissimi Senatus & omnium bonorum expectatio à nobis flagitant. Absit locordia, absit discordia, odium, contentio, simulas, arrogantia. Fulgeant contra in nobis diligentia, humanitas, benevolentia, candor, fraternitas. Credite, credite mihi, fratres, id si fecerimus, fore, ut, si schola hæc nostra summarum atque florentissimarum fastigia adæquare nequeat, minimè tamen inter infimas reputetur.

Et vos, dilectissima sacris profanisque studiis dicata juvenus, futura ecclesiæ, reipublicæ & patriæ ornamenta, quotquot adestis, domestici, exteri, hocce commodæ vestræ educationis beneficium, quo curâ & magnificentiâ Ampliff. senatus nostri fruimini, summa cum gratitudinis devotione agnoscite. Injicite manum occasione neque committite, ut parentum, ut nostra, ut patriæ vota, cui præsidiiis in maximis opus, ignorantia atque segnitie vestra corrupta atque intercepta jaceant. Nihil tam arduum est, quod non labor enitatur; nihil tam profundum, quod non eruat; tam obscure, quod non explicet; tam difficile molestumque, quod non subigat. Labor fortunatus ille Gygis annulus est, quo uno, Deo favente, obtinebitis omnia. Ecce verò jam in labores jam in vigilias corpus valet, jam duci, jam se formari ingenium patitur molle adhuc & doctri-

doctrinarum, si quas instilletis, maximè capax. Quod tempus cum fluxerit semel, irrevocandum amplius est, & qui elabi siverint, hos penitentia & dolor & dedecus manet.

Te, ô Deus, ô Pater Optime Maxime, precibus obsecramus ardentibus, conserva, conserva hocce pietatis & artium gymnasium tua unius benignitate inceptum & hucusque sustentatum. Plantaisti hanc vineam, eam ne destrue. Paraisti nobis hocce seminarium, benedic ipsi, ut cœlestis tuæ gratiæ rore etiam deinceps irrigatum læta in perpetuum capiat incrementa. Da eidem cultores non profana crepantes, sed pios, sed eruditos sed fideles. Da ipsi plantas non steriles & tortuosas, sed fœcundas & ad fructus ferendos indies maturescentes. Resiste manu tua omnibus, qui illud turbare aut evertere satagunt, ut semper vigeat, & apud posteros florentissimum audiat. Ipsam officinam, auditoria hæc, facta tecta ab incendiis & injuriis sub alis tuis clementer protege. Tuere ecclesiam contra nefariam vim Satanæ ipsiusque organorum, parvum gregem tuum sanè quàm hodie affligentium & persequentium. Tuere sinceræ doctrinæ vindices, ne ea pestilentium opinionum toxico inquinata sed veritate ad posteros incolumi propagetur. Tuere inclytissimum Senatum ut consulant nobis, ut protegant nos, ut foveant nos. Rege consilia & actiones eorum

rum, ne unquam aberrēt, sed felicissimè exeāt. Urbem ipsam in hunc diem à te benignè defensam tuere à machinationibus invidorum; averrunca ab eadem injurias; clandestinas læsiones refræna; dispelle potentiaæ tuæ radiis omnia mala, quæ atræ nubis instar paulatim ascendere & tempestates minari graves videntur. A cervicibus nostris hostium enses averte. Orbem pace corona. Prohibe tumultus & discordiam. Commerciis & opificiis securitatem & felicem successum largire. Aeris salubritatem dona. Annonæ caritatem arce. Da denique, ut te Deum in essentia unum, in personis trinum, ut coli præcepisti, cuncti veneremur tibi que in omnibus pareamus, ut respublica hæc undique floreat & post exactum seculum sit & maneat ecclesiæ, religionis, veritatis, scientiarum, concordia, humanitatis, omnium denique bonorum, quibus mortalium vita regitur & sustinetur, hospitium, idque in perpetuam unius immortalis & magni tui

nominis gloriam.

SOLI DEO GLORIA.

DIDE-

DIDERICI SAGITTARII
ORATIO SECULARIS

Quæ est
TERTIA

De

SCHOLÆ BREMENSIS
PROGRESSU ET INCRE-
MENTO,

Ab anno seculi præsentis X.

In festo seculari seu Jubilæo, meridie XIV.

Octobr. a. cl. lxxxiij. habita.

*Inclutissimi Patriæ Scholæque Patres,
Domini faventissimi!*

*Splendidissimi Omnium Dignitatum &
Ordinum Hospites, Auditores bene-
volentissimi!*

*Excellentissimi quarumvis Facultatum
Professores, Fautores honoratissimi!*

*Humanissimi Classium Moderatores,
Collegæ desideratissimi!*

*Nobilissimi Sapientiæ Candidati, Amici
Exoptatissimi!*



Seculum Gymnasii nostri jam auspica-
mur *secundum*, utinam non numero tan-
tùm, sed & successu *secundum*! Oratio
secularis habenda, ô si illa nos ex seculo
sublevaret ad ea meditanda, quæ ultra,
quæ supra seculum sunt! Ad quid enim omnis hæc
nostra festivitas, nisi supra lunam cogitatione & affe-
ctu eveci, cœlo esse quàm terræ proximiores opte-
mus? Nisi, qui sumus aliis fortè eminentiores digni-
tate aut scientiâ, eminentiores quoque simus gratâ
in Deum pietate? & *vel hac occasione*, cùm corpore
à terra avelli non possumus, dum hîc hæremus, ani-
mo

mo saltem avellamur, & ultra secula & secularia
mente ascendamus! *Jubileum* celebrandum, non
quidem Judaicum, ceremoniis & typis Mosaicis jam
dudum abrogatis; nec Pontificium, cum sic videri
possimus facere cum illis, qui superstitiones suo inge-
nio confictas cumulando, Novum Testamentum, cum Ve-
teri perperam permiscunt: sed prout in nascente
Ecclesia dies quidam anniversarii & solennes sunt ser-
vati, quibus se non ad pristinum rituum servitutem
asfringebant, sed beneficia vel olim vel nuper præ-
stita gratâ mente renovabant; ita nos *Jubileum* jam
Scholasticum, remotâ omni superstitione, ad declaran-
dam iis, qui beneficiorum suorum fructum repete-
re jure quodam suo à nobis possunt, mentem gratam
& beneficiorum memorem, non licitè tantum sed &
laudabiliter celebramus. Ah! ut modò Deo ob bo-
nitatem Optimo, ob potentiam Maximo, ita *jubilemus*,
iis animis, iis vocibus, iis linguis ejus laudes decante-
mus, ut aliquando in cœlesti, non *Gymnasio* laboribus
& exercitiis aspero, non *Phrontisterio*, curis & sollicitu-
dinibus obrito; sed in *Academia*, cœtu à profanis se-
gregato, in *Universitate* omnium Electorum, omnium
Beatorum *spiritus* illud jugiter concinamus! *et*
Jubilæus annus Hebræis dicebatur vel à diducto
tubæ sono, qui per totam tum transibat Judæam, &
in diversas partes, in alia atque alia ducebatur loca,
donec

donec tandem illius cantu universa resonaret terra: vel ex versione LXX interpretum, à remissione seu emancipatione, siquidem tunc inter Hebræos remissa sunt debita, emancipati servi fundique, quorum hi ad antiquos dominos denuò possidendi redibant, illi juris sui suæque potestatis fiebant: unde juxta Philonem *Jubileus* est restitutio, quòd hoc anno res & personæ in loca pristina restituerentur. Quod verè erat *Jubili* tempus, quo per Tubæ sonum captivis libertas, manumissio servis, debitoribus remissio, venditoribus fundorum recuperatio designabatur: typus *Jubilei* spiritualis, quo lætamur, nos per Christum unicum Salutis nostræ Sequestrum remissis peccatis ex Diaboli omniumque hostium potestate manumissos esse. Quò respexisse videbuntur illi, qui à solenniori triumphantium voce, *ὡς βῆ Παύλῳ*, quâ Pæana canebant victores Apollini, cui vitam in acceptis superstitibus ferebant, *Jubileorum* & vocem & morem derivant. Quemadmodum igitur hoc remissionis, quietis & jubilationis anno (nam hæc omnia *Jubilei* & nomine & solennitate exprimi censent Docti) impensè exultabant Judæi, quo reducebantur ad veteritas sedes agròsque suos, ad pristina hæreditatum jura primaque vivendi conditiones, qui vel fortis malignitate, vel nascendi conditione, libertate aut possessionibus suis exciderant: ita qui nobis hodie

nonob

Jubi.

Jubileus vel annus vel dies dicitur, multò meliori jure de concessa avis atavisque nostris per pias & erudititas literas sentiendi & credendi libertate, jubilandi & exultandi materiam nobis præbet.

Secularis ergò hæc Tibi solennitas, ô Bremense Athenæum, Summi literarum saniorum Autoris & Fautoris gratiâ exhibita, ut Deo grata, Tibi lata succedat, age! gratiis vocem, præconiis linguam, gaudiis pectus consecra, dum, quod omnis repetat memoria, posteritas cogitet, vicinia gratuletur, jam hi in hoc Auditorio patietes, hæc cathedræ, hæc subsellia, omnisque in iis ætas, omnis ordo festivo plausu jubilat, & *seculare* nobiscum festum solenniter celebrare satagit. Præprimis Musæ nostræ Scholasticæ id agant, quod unice in votis & viribus ipsarum est, ut Deo, Magistratui & Evergetis gratiam mentem declarent, non tam exquisito dicendi artificio, quam pio mentis studio.

Faciamus g. quod quimus, dum quod volumus, non licet, & pro paterna illa incredibilique indulgentia gratiâque gratias dicamus agamusque Deo O. M. qui fructum studii & conatum nostrorum omnium suo quodam jure omnem à nobis repetit; tui Magistratui nostro Incluto, Fundatori & Conservatori nostro post Deum summo; iis denique qui suum ingenium, sua studia, curam & industriam illuc con-

culerunt, ut splendor Illustris Gymnasii in annos illustraretur,

Et sanè bonum factum! quòd hic ipse dies huic festivitati est dicatus, quo ante proximos hos XXXV annos, inæstimabile illud Pacis bonum, post tricennii exsilium, jamjam animam ferè agenti Germaniæ est redditum, Monasterii hoc ipso XIV. Oct. anno seculi hujus XLIX solenniter Pace sub dio promulgatâ. Imò liceat & hoc boni ominis causâ addere, quòd Duce Philippo Comite Palat. ad Rhenum, propugnata fortiter Viennâ, Solymanus Turca, stipatus trecentis militum millibus, anno seculi superioris undetrigesimo, die m. huj. XV, feliciter fuerit profligatus, inque turpem fugam actus, universâ urbe funestæ obsidionis periculis creptâ, sublatis in Cœlum manibus & mentibus, sibi suisque gratulante. Cùm igitur mensis hic October subinde magnæ vel causas vel indicia lætitiæ secum tulerit (taceo, eidem non paucas Inclutissimas Europæ Academiæ natales & auspiciæ debere) quidni & nobis auspiciatus & maximè memorabilis habebitur, quo ante seculum apertum est hoc nobile ingeniorum palatium, hoc Christianæ eruditionis templum perillustre, tutum hoc Studiosarum mentium refugium ac asylum, inexhausta variorum bonorum origo, è qua ingens laudanda

dandarum rerum pelagus in patriam nostram uber-
tim dimanavit.

Ego sanè, dum in Illustrem hanc, quâ splendidio-
rem fortasse nunquam vidit hoc Auditorium, pane-
gyrin oculos circumfero, Audit, videor mihi videre
Amphitheatrum Romanis, sub Tito & Domitiano
Impp., etsi non magnificentius, certè vel sacratius vel
utilius; in cujus subselliis residere hoc die dici possit
aut repræsentrari Reip, amplitudo, Ecclesiæ autoritas,
Eruditionis dignitas. Video enim *hinc* Magnif. &
Ampliff. Civitatis Proceres, Ecclesiæ Scholæque nu-
tritios, serenis oculis pios hosce conatus nostros ap-
probantes, Reip, Politicæ & Ecclesiasticæ æque ac
Scholasticæ, ut Solem æthereæ, moderatores. Video
porrò variis honorum titulis & insignibus Excellen-
tissimos Doctores, tanquam sidera longè latèque
collucentia. Video Theologos, Jctos, Medicos, a-
lios, publicis quibuscunque functionibus astrictos ceu
radiantes in cælo stellulas. Video *illinc* Gravissimos
ex ordine Scholastico Viros, haud lecus ac scintillan-
tia plagæ æthereæ astra. Denique non sine gaudio
Te cominus contueor, Studiosa Juventus tanquam
Phosphorum lucis splendidissimæ radios non quidem
ejaculantem, sed tamen promittentem.

Affulgente igitur jam nobis non Phœbo aliquo
aut Apolline fictitio, sed Justitiæ divinæ Sole splendi-
dissimo,

diffimo, sub cuius alis radiisque Salus, faventibus &
 arridentibus hilce magnis Astris, conspirantibus to-
 tius ætheris Scholastici votis, ipsi quod præ manibus est
 operi, pio magis quàm audaci, quod Superiorum Vo-
 luntas & officii ratio potiùs, quam ulla alia res injun-
 xit, alacrem cum Deo admovebimus manum: & te-
 lam hodie à Magnif. Dn. Rectore nostro gravi suavi-
 que oratione cœptam, impari licèt conatu, Ego, de-
 cernente ita Venerabili Dnn. Proff. Collegio, quan-
 tum pote, pertexam, vota Deo, grates Magistratui nuncit-
 paturus, omniumque cum Celeberr. Martino in Schola tam
 Publica quàm Pædagogica Docentium vitæ cursum paulò
 prolixius, su perstitum a, nominatantum concisus recensitu-
 rus, non quidem omnia hùctrahens quæ de illis pro-
 stant, quibus vix horarum lustrum aut solidus dies, ne-
 dum horula sufficeret: nec tam mea, quàm aliunde
 vel ex manuscriptis vel aliorum relatione petita (su-
 perant enim nostram memoriã) promittens.
 Liceat igitur jam de extinctis Scholæ Bremensis
 vel luminibus vel columinibus ea dicere, quæ memo-
 riam mereri videbuntur; & quos olim nondum aliò
 translatos, ut terræ flores, fragrantiam eruditionis
 passim exhalantes, mirati sunt cœvi, eos jam ut cœli
 sidera, piã quadam metamorphosi, cum lucere in ter-
 ris deserint, contemplemur. Verùm, nquiat quis, læ-
 tissimus hic, jubilis & plausibus devotus dies, Sympho-
 niaco

niacorum suavissimus concentus, confidentium *hinc*
 & *inde* Virorum Spectatiff. ad hilaritatem, qualis con-
 gratulantium esse solet, compositus vultus, videntur
 ostendere, importunam videri, ut in luctu Musicam
 tripudiantem, sic in hac festiuitate, feralem de Defun-
 ctis concentum.

Me tamen non panitet, nec Vos, A. O. O. D. H.
 quod spero, & humillimè ac humanissimè peto, tade-
 bit allatæ ad huius Diei celebritatem tantorum Viro-
 rum memoriæ; reor siquidem, ex eorum Virtutib.
 meritis & eruditione habituros & Præsentes quod imi-
 tentur; & Futuros quod vel mirentur vel rimentur.

Jam ergo quis nescit, gentilibus vanam fuisse,
 omnem festiuitatem publicam, quæ *Dei* alicujus
 invocationem non præ se ferret? Unde illa Græcis
 non minùs ac Romanis solennia auguria, auspicia, aru-
 spicinæ, oracula: illa memorabilis Vox *Platonis*, *Deus*
 est illarum rerum autor, quæ ex ulla athletarum palæ-
 stra aut Philosophorū Schola planè non possunt pro-
 venire. Quid? quòd ipse *Cicero* & patriæ & purioris
 Latinitatis parens, licèt subinde sibi *Suffenus*, suarum
 actionum a croama libentiùs ferè æquo audiret, tamen
 hîc recidius aliis sapiens, exclamat: *O Dii* immortales,
Vobis tribuam, quæ *vestra* sunt; *Vos* animum meum
 cupiditate patriæ conservandæ incendistis; *vos* me à
 cæteris cogitationibus ad salutem reip. avertistis;

iup

in

in tantis tenebris clarissimum mihi lumen prætulistis!
 Si hæc & talia homines ethnici, nos igitur quid? anne
 pro Schola nostra eadem militat ratio, quâ Plato in
 asserenda Legum autoritate utebatur, cur non eo-
 dem quoque acclamemus epiphonemate? Sanè si
 vel eminus aciem tam mentis quàm oculorum in
 Scholam hanc convertimus, tot ac tanta rerum opti-
 marum congeries primo se offert intuitu, ut Deum hic
 bonitatem suam exferentem clarissimè videamus. Ex-
 ternam enim ejus structuram, aliis quidem usibus à pri-
 mis illius structurariis destinatã, sed divina directione
 jam seculo abhinc & quod excurrit Scholæ consecra-
 tam lustrantibus, hebetant oculorum nostrorum aci-
 em hinc atque hinc, Propylæa suis insignibus & in-
 scriptionibus exornata, Auditoria amplissimo splendo-
 re nullis Germaniæ Academiis inferiora, Turris ab
 armamentario, ubi olim Cœnobii templum fuit, in
 medium Gymnasium, prævia exornatione, translata;
 & mirati structuræ magnificentiam, venerati Majorum
 (quorum memoria sit in benedictione) munifi-
 centiam, Deus est, Auditt. horum autor, Deus inquam
 est, jure exclamamus. Ad interiora porrò animum ad-
 vertentes, suspicimus meritò Magnif. & Amplissimo-
 rum Scholæ Ephorum, quos Scholarchas voca-
 mus, providam semper in gubernanda re Scholastica
 curam; Doctorum omnium Facultatum & Artium,
 qui

qui per integrum hoc seculum, recto tramite, ad pretiosos divinæ sapientiæ fructus dextrè percipientes, suos deduxerunt auditores, eruditionis profunditatem, scientiarum varietatem, vitæ candorem, & Deus est, Auditt. Deus est talium dator, iteratis vobis ingeminamus. Ille est & Gymnasia & omnium ex eo bonorum autor & conservator, quibus si quicquam humanis vel artibus vel viribus incrementi accessit, si quippiam iis firmamenti accrevit, si quid amplitudinis ornatusve aliunde derivatum videtur, totum illud à divina gratia est ortum.

Jam si ante Legem Patriarchæ adeò exultabant, cum puteos effodientes vivas invenissent aquas, quibus & se reficerent, & rem curarent pecuariam: quanto majores Nos debemus gratias summo illi Proxenetæ, qui majorum nostrorum animos permovit, ut salubres illos fontes Scholasticos foderent, unde quasi pulcherrima scaturigine varii eruditæ sapientiæ rivi in omnem hominum genus emanarent. Ne dicam, quanta vel inde Numinis pro Nobis appareat cura, quòd inter tot machinationes & insultus Satanae, qui turbare limpidißimum Veritatis fontem toto subinde conatu molitur, annum tamen jam centesimum reciproco fluxu refluxuque scaturit, & majora hinc inde incrementa sumit, ut & remoti etiam fateantur, se ex his fontibus dulces aquas hausisse,

fisse, & præsentés facile credant, quatuor ex hoc fonte canales, Theol. Jurispr. Medic. Philos. in quosvis Sapientiæ Candidatos, dulcissimas & saluberrimas aquas magnâ copiâ fundere.

Grates igitur Tibi, ô indulgentissime Pater, debemus, quin & exhibemus, non officium liberalitatis, sed debitum gratæ mentis exsolventes: debitum planè, quia Tuum: Tuum omninò, quia à Tua benignitate profectum, Tuâ gratiâ conservatum, Tuâ bonitate mirificè exornatum, quicquid hîc videmus, quicquid inde habemus. Imò Tuum est, sapientissime rerum omnium Director, qui unus omnium consiliorum successus & eventus uno providentiæ oculo prospicis, dirigis, gubernas, Tuum est quòd Canales Veritatis perennes ex limpido hoc vivòque fonte etiamnum inter nos scaturiant, & ad ipsos quoque longè diffitos se diffundant.

Verùm, cùm illi, qui urbes Scholâsque primitus condunt, ad cœlum usque famâ summo tolluntur jure, in quanto apud nos posteròsque nostros debent esse honore illi, qui Scholam hanc, verum Civitatis ornamentum (quod pace Fascini dictum esto) conditam amplificatâque servarunt? Ad hos igitur pergentes, postquam ita, ut debuimus, saltem ut potuimus, suum Deo T. O. M. omnium bonorum fonti primo dedimus, debitum nunc Dominis & Proceribus nostris
Epi-

Epiphonema consecramus, quorum integro hoc seculo (quod hodie decurrere nobis gratulamur) munificâ curâ & prudenti industriâ, humanioris literaturæ & divinæ ac civilis sapientiæ Professores & Magistri cum suis Scientiarum Candidatis ita copulati fuerunt & conjuncti, ut Gymnasium, Virtuti ac eruditioni omnigenæ docendæ ac discendæ destinatum, à Munificentissimis Illorum Prædecessoribus conservatum, hoc ipso die, Amplissimâ præsentium Dnæ. Scholarcharum prudentiâ, novis Jubilæi honoribus illustretur.

Uti g. illos, qui hanc Spiritus S. officinam laudabili conatu aperuerunt, privilegiis necessariis muniverunt, stipendiis publicis dotarunt, affectumque eundem ad Successores immortali cum laude propagarunt, silentio præterisse quondam, benèque merentibus gratos se non exhibuisse, vitium fuisset enorme, contra jus & fas, contra piæ moris antiquitatis, contra Arcadii & Honorii Imp. rescriptum: ita & gratâ meritò cum recordatione memorandi nobis in hoc curriculo sunt, qui nostris quidem usibus ante multa jam annorum lustra, non tamen memoriæ publicæ, quæ sempiterna esse debet, subtracti, qui, ut laudatissimo in augenda & exornanda Schola studio versati sunt, ita immortalem nominis gloriam in grata bonorum omnium memoria eo ipso sibi compararunt.

S

Quid

Quid enim, Audd. num leve illud aut superficiarium censere possunt cives nostri, quod superioris seculi Patres Bremæ laudem, quam ex florente mercatura jam obtinebat, ampliori etiam literarum & Sapientiæ gloriâ ornare studuerint, & opulentissimum hoc Artium omnium ac disciplinarum gazophylacium ita instruxerint, præsentésque etiamnum Studiorum Meccenates illud ita tueantur, ut vix quid in Academicis vel Celeberrimis (absit dictis invidia) doceatur aut discatur, quod hîc non perspicuè traditur? Sit igitur aliis rerum publ. Moderatoribus laudi exstruxisse Pharos aut Pyramides, constituisse Prytanea, erexisse Colossos aut pensiles Semiramidis hortos: iuverit alios assidere ad lautam Luculli aut Cleopatæ mensam: inhabitare fortunatas Insulas: aut cum audaci superbóque Salmoneo conscensis quadrigis æratis fulmina in meticulosam plebem jacere. Noltris utique Proceribus immortalis erit gloriæ, aperuisse palæstram Eruditionis, unde tot jam exierunt Varronianâ verborum suppellectile aut Tullianâ eloquentiâ instructissimi Philologi; prodierunt in Philosophicopulvere exercitatissimi palæstræ; processerunt armati omni scientiarum panopliâ Galeni, Bartoli, Augustini. Quod beneficium silentio sepelire, vitium esset nimis enorme!

Verum

Verum tempus monet, ut ab his etiam (quibus nunquam sat gratiarum tribui à nobis posterisque nostris potest) & ab hac infinitate transeamus ad eos, quorum pro re nata ex præsentis instituto Virtas, quantum ad Scholam pertinet, contemplari nobis est animus. Eo enim ipso & Numinis prædicabitur benignitas, sine qua nemo unquam v. bonus v. magnus exstitit: gratæque illa bene merentium memoria faciet ad exemplum manabitque ad æram posteritatem: quin imò æquissimis de continuanda bene meritorum memoria Constitutionibus fiet satis.

Agite igitur, si commodum est, consideremus eos, qui à X. huj. seculi anno prudenti curâ & inspectione, collaptum ferè Gymnasium erexerunt fovèruntq; SCHOLARCHAS, VIROS, Magnif. & Ampliff. de tota rep. & cum primis de Schola nostra meritissimos: quorum primus in hoc curriculo Dn. DIDERICUS HOIER Reip. Consul Gravissimus, ex amplissima familia oriundus, & ejusdem columnæ & decus inclytum, autoritate summus, prudentiâ & fide in remp. Scholamque maximus, cum Successoribus amplissimis. Quorum auspiciis a. hujus sec. XIII, mense hoc ipso Oct. urgente Venerabili Professorum Collegio, *Typographia*, non sine sumptibus, insigni tamen cum literarum emolumento erecta est, Hanoviâ Bremam evocatis *Thomâ & Bertholdo de Villiers*, patre & filio,

filio, ut libris, disputationibus, declamationibus aliisque Scholasticis per suos typos describendis solertem suam Gymnasio operam impenderent: quorum hic *Bertholdus* per integrum semi-seculum ita hæc suam operam literis & Scholæ inservivit, ut nihil hoc in genere v. docentibus v. discipulis deesset. Quo Incluti Senatus beneficio & salutari Dni. Scholarcharum consilio vel in hunc diem trivimus, *Herm. Brauer* dicti *Bertholdi* genero, typographicas operas feliciter etiamnum successu continuante.

Jam autem conniventibus ferè oculis præterire subit *edificia* splendida & egregia, eorundem Scholæ Ephorum solerti prudentiâ ante hos ipsos sexaginta vel septuaginta annos, si non exstructa, saltem exornata, exaltata, illustrata, amplificata. *Auditoria*, quæ per priorum ferè annorum *σπίραξιν* erant clausa, denuò aperta & commodius aptata, ac reens instructum dicatûnque Theologicis exercitiis illud, quod hodiernum *Bibliothecam Reip.* servat, quod additum duobus aliis, *alteri* fornicato, ad sinistram graduum sito, quod jam Medicum vel Philologicum dicitur, quodque pridem Bibliothecæ Monachorum asservandæ adhibitum erat, post v. à fundatione Scholæ Prima Classis nominata, in qua tot Viri Celebres, quorum laudes avidis hodie auribus hausimus, publicè docuerunt: *alteri* minori seu

medio, quæ pars olim Bibliothecæ Monachalis posterior, quod nuper exercitiis Musicis patens, jam Anatomicum Conclave audit. Taceo *turrim*, non tam mole & fastigio, quàm usu ornatûque splendidam, ab armamentario seu choro templi adjacentis huc translata, & ex ea minùs spectabili forma, quâ etiamnum in æde & cœnobio S. Johannis turricula visitur, in præsentem ornatiorem, quâ se ad urbem ventitantibus vel eminus commendat, transformata, anno sec. XXII, laudatis Dnn. Scholarchis id accurantibus. Taceo integras ædes, vel ex fundamento exstructas, vel Docentium in Schola usibus aptatas, tuâ cum primis directione & eâ quâ circa rem structurariam pollebas solertiâ, vel hoc nomine laudatissime Scholarcha & Gravissime Consul, JOH. HAVEMANNE.

Nec minor Tua in Scholarchatu laus est, WILHELME à BENTHEIM, Senator Amplissime, Scholarcha nunquam satis laudate, qui dum præeras, non tantùm diligentissimè providebas, ut Salaria singulis in Schola Docentibus sine mora & defectu statim temporibus exsolverentur: Sed & prudentiâ & autoritate Tua, quâ apud Verdense Capitulum Summum, cujus Syndicus antehac fueras, pollebas, pro laudabili & rarissimo in Scholam affectu effecisti, ut Prærever. & Magnificentiss. Dn. Gotthardus

von der Sieth/Basilicæ ædis Verdensis Decanus, literis & literatis impensè favens, aliquot imperialium millia Scholasticis usibus legaret, *magnificentia* (verba sunt Cl. Martini in *Orat. de nom. Jesu.*) in Collegium nostrum regali, exemplo ad posteritatem prædicabilis: Sciebas nempe, Vir Prudentissime, ex Symmacho, optimè pro specimine florentis reip. haberi, bene merentibus opulenta pendere præmia: nec suo ritè munere fungentibus obijciendas esse famosas illas festivi Imp. Sigismundi pyxides, ejusdem planè formæ, magnitudinis & ponderis, æquali v. auro v. plumbo gravidas, probaturas scilicet Magnatum dona non semper illorum esse, qui ea mereantur, sed quibus fato sint destinata.

Demum in eadem prudentis fidelisq; pro re Scholastica curæ laude hisce successit Dn. NICOL. à RHEDEN, Vir ut nobilitate generis & virtute ac dignitate summa Amplissim⁹; ita justitiæ Patriæq; & in hac ipsius Scholæ & Scholasticorum longè amantissimus, qui, si per fatum licuisset, vel hoc ipso Scholæ *Seculari* anno & suæ vitæ *Seculum* expleisset. Hic, ubi felici omine, a. huj. sec. XI, oriente Gymnasio huic nova quasi luce, in ordinem Senatorium esset asscitus, a. XXV. laudato jam & nunquam satis laudando Dn. W. à Bentheim piè decedenti successit Scholarcha: XXXIX. autem anno, positus à Magnif. Consule & Scholarcha Haveman-

venanno mortalitatis exuviis, factus Consul: ta-
 ceo ædilitiam in æde Ansgar. dignitatem; Ecclesia-
 rum item in territorio hujus Civitatis Visitaturam,
 quibus muneribus omnibus summâ fide, curâ & dex-
 teritate præfuit Dn. Rhedenius.

Dies me deficeret, Auditt, si conarer verissimas
 succedentium Scholarcharum, Magnificorum à
 Graviss. DOZENO Consulium omnium, persequens se-
 mi seculum moderamine suo Scholam amplifican-
 tium, laudes explicare: quorum nomina mea temera-
 re vix audet tenuitas, nisi quod LIBORIUS de LIN, JOH.
 HERDENIUS, HENR. ALERS (continuo & solertissimo
 octodecim annorū Scholarchatu insignis) & nuper JO.
 HARMES & DID. à CAPPELN, etiam quâ Senatores, ma-
 gnificâ suâ autoritate, curâ & prudentiâ Scholam illu-
 strarint: quin vel ipsi vel Amplissimi Eorundem po-
 steri, quorum quosdam hîc asidentes venerabundus
 aspicio, quâ sunt prudentiâ & modestiâ, vix hoc æ-
 quis ferent auribus, qui Suas Suorumve laudes ex
 splendidis in omnem temp. meritis cerni, quàm ver-
 bis celebrari valent.

Imò pergendum jam nobis est ad eos, qui hoc
 curriculo in Schola tum Superiore tum inferiore
 docuerunt, quorum illos ita considerabimus, ut
 non tam dignitatis, quàm temporis & successionis,
 servato tamen ordine Facultatum, habeamus ratio-
 nem.

nem. Solet quidem *Stella* Theologorum omnium esse icon symbolica, non inueniunt tamen primum, qui nobis ordine sic ferente occurrit, representabit *Stella* vel matutina Phosphorus, vel Vespertina Hesperus vulgò dicta, cum ob longam annorum seriem, quibus Theologicae Professioni & alibi & hinc fuit addictus, tum ob splendidas virtutes, quibus & manè vigidioris ætatis luxit, & in crepusculo ævi ad occasum vergentis aliis præluxit.



Andrea enim *Widmaro* à Reçtura Scholæ ad Pastoratum translato, rem Scholasticam novo Zelo promoturus Ampliff. Reip. Senatus, Scholæ de capite optimo prospiciendum putavit. Vocatus igitur est Vir pius, industrius, eruditè doctus, Theologus sincerus, Philosophus eximius, Philologus absolutus **MATTHIAS MARTINIUS** Freienhagâ Waldecensis, in Gymnasio Herbornensi Inclyto primùm Professor & Pædagogarcha, inde Pastor Ecclesiæ Emdanæ, quæ ipsum Bremensibus quidem concedere ad tempus dubitavit, tandem tamen honestè dimisit.

Hic, Auditt. Virilis quasi Scholæ nostræ vigor incipit, cum adhuc in cunis, ut sic dicam, vagierat; hic ex umbris eluctata, ubi antè syncopen quandam seu ecclipsin ad tempus erat passa. Inertiâ enim quorundam & incuriâ dicam, an invidiâ & simultatibus? consenuerat quasi vigor Gymnasii & deco-

xerat,

xerat, sed novo hoc Rectore (id quod *Florus* de Imperio Rom. temporibus Trajani asserit) movere denuò cœpit lacertos, & præter spem omnium senectus ejus quasi redditâ juventute revirescere. Sub hujus adventum enim Scholæ status in ampliorem, commutatus ac Herbournensi conformatus, Classésque in sex Pædagogicas distinctæ: Gymnasium, autem quotannis auctum non modò ex peregrinis huc confluentibus, sed & discipulis ex Pædagogo ad Scholam publicam solenniter promotis.

Fuisse autem ipsum *Martinium* staturæ brevioris ferunt illi, qui ex illa fortè adhuc ætate superant, sed animo, ingenio, eruditione & virtutibus magnum, non tantùm iidem ultrò fatentur, sed & nemo ipsum melius depinxit, quam se in scriptis suis & ingenii monumentis ipse cognosci voluit: de quibus liceat tutò asserere, si quis multitudinem eorum & varietatem cum annis conferat, ætatem ultra putet; ita enim varia illa sunt, ut qui ea legunt, non unius hominis sed totius Collegii aut seculi scripta legere se credant. Quin omnigenam ejus eruditionem, si reliqua non essent, solum illud *Lexicon Philologicum* arguit (a) opus cui simile vix hætenus in ulla bibliotheca prostabat, quod sanè, si quid usquam, plus habet in recessu quam fronte

T pro-

(a) *Bremæ excusum, in fol. 1623. recusum Francof. ad Men. 1655.*

promittat: lectus ac scripturientium vulgus, quorum libri speciosos saepe venditant titulos, solidis rebus planè destituti. Jam reliquorum Philologicorum aut Theologicorum scriptorum catalogum (b) si contexerem, & memoriae vestrae, Auditt, Splendidiss, & patientiæ, in tanta insuper dicendorum copia, vim inferrem. Lateat igitur ejus in docendo pia dexteritas, in gubernando Scholam prudens solertia,

(b) Qui hic est, quoad nobis constare potuit: de quo not. in genere, libros ante 1610. editos, excusos esse vel Pterb. vel Sig. Nassov. ab hinc autem Brema. Sunt autem seqq. Annotat. in Pentat. aliosq; libr. Bibl. per anal. & disquisit. in 4. 1623. De augustiss. nomine Jesu. in 4. & 8. qui sequuntur, sunt in 8. ut, Exam. methodi Nicol. de omnipraf. carnis Chr. 1597. Inciso nervor. Menzeri: Lt. Exam. spicarum spinarumq; Menz. 1597. Menzerus antinuhetementis. 1616. De sacram. manduc. 1597. Demonstr. de exinan. & ex alt. Chr. Exam. querel. Menz. 1615. Contr. Monobhelet. 1616. Method. S. S. Theol. cum not. 1603. Triumph. Scholast. 1600. Idea Encyclop. 1606. Lex. Grac. seu Cadmo-Phoenix. Fundam. L. Gr. 1618. De unica Christi persona in duab. Naturis cont. Socin. & Ubiquit. 1614. In Ps. II. comment. Schol. & Eccles. Decat. disput. Theol. 1611. Summula Theol. 1610. Syll. quest. Theol. 1610. Comment. in LL. duar. tabul. Summa Sacram. V. & N. Test. 1615. Nota in fillos Giess. 1616. Κεϋνλιον Christian. Caputum Christ. relig. paraph. 1612. Comment. de creat. & gubern. mundi 1613. De prompta rerum util. medit. 1614. De federis nat. & gr. signac. 1617. Christ. & Cath. fides. 1618. Pro catech. 1619. Christ. piet. & e-quit. 1619. Theol. popul. T. Catech. 1618. Reliqui in 12. v. g. Rudim. Theol. 1598. Hagog. in Theol. 1615. Fons vera Theol. cod. Anal. popul. in Epist. & Evang. Domin. 1616. 1658. Exam. Catech. 1616. 1625. Breviarium de vera relig. 1617. Quest. princip. de doctrin. Christ. 1617. Memor. Bibl. 1622. Grottschritte wider uno verfehene Fälle. Prat. unum. Dispar. Theol.

lertia, in moribus modesta gravitas, in disciplina
moderata severitas, quæ quatuor absolutum ex
asse Scholasticum & omni laude superiorem consti-
tuunt.

Abirem hinc, nisi Clariss. & Integerr. Theolo-
gus Conr. Bergius, Martinii nostri in Prof. Theol.
successor me revocaret, qui Orat. suam Inaugur. i-
ta orditur, ut in eadem manuscripta legitur, quod
non temere suppressendum censeo. Verba autem
Doct. Bergii hæc sunt: *Utinam Vobis, Adolescentes,*
& quid vos dico? *utinam nobis Martinium illum Vestrum*
celeberrimum, quem postremo ante excessum anno à me
quoque per sepe ex hoc loco differentem summa cum volu-
ptate, addo & utilitatem, auditum, partem quandam se-
licitatis judico! Utinam, inquam, vivam illam quondam
rerum pariter & verborum bibliothecam & audire porrò li-
ceret, & quoties usus esset, copiâ ad omnia divitem, hu-
manitate promptam, accuratam judicio, pietate saluberr-
imam liceret consulere! Superfederem ego cum lubentissimè
tum justissimè & labore & periculo, quod docentibus impri-
mis subeundum. Taceo plures illius Viri laudes: taceo,
quantâ me, decem ferè retrò annis, cum per hanc urbem
fortè transeundum esset, ex uno atque altero alloquio ad-
miratione sibi ac amore devinxerit: taceo, quanta mihi &
veniendi in hunc locum, & manendi, tum virtute tum co-
hortatione & amore suo causa fuerit. Ex iis, quæ sum

candidè professus, colligere potestis, quid, nisi ad alia pro-
perandum esset, vellem dicere, & quid ab iis, qui rectius
pleniùsque possunt, dici optem. Maneat interim & me-
moria constans, & æternum Viri desiderium, dum in cæ-
lis animos ac voces effusissimè miscere liceat.

Hæc, Auditt. Bergius de Martinio: qui tandem,
postquam per omnem vitam suâ sorte eâque medio-
cri (quippe redivitibus ex agro Scholastico minis foc-
cundo steriliùs demessis) contentus, de Ecclesiis
Scholisque orthodoxis quam optimè erat meritis,
an. æt. LVIII. seculi XXX. Rectoratus XX. in agro
Kirchtimmese ad quartum ferè lapidem ab urbe
sito, quò circa ferias Johannis relaxandi animi gra-
tiâ excurrerat, catarrho suffocativo fuit extinctus.
Sequitur hunc Phœnix nominis celebritate,
sed qui Phœnicis vitam minimè attigit, LUDOVICUS
CROCIUS, illustre Scholæ & Ecclesiæ no-
stræ fidus, Vir elegantis ingenii, immensi laboris,
admirandæ facundiæ, literator & Theologus insi-
gnis, maximo Bremæ bono natus patre Paulo Cro-
cio D. & Martyrologii magni Germanicè editi scri-
ptore, Laspheæ in comitatu Witgensteinensi: qui
quantâ facundiâ, quantâ suavitate salutaria dogma-
ta auditorum mentibus instillaverit, Vestrum, qui ab
ejus ore admirabundi pependistis olim, esto judi-
cium, Et licet juxta Plin. (epist. 3. lib. 4.) severitatem



pari jucunditate condire, summæque gravitati non
 minus comitatis admiscere, difficile æque ac magnum
 fit: Noster tamen cum incredibili quadam suavita-
 te sermonum, tum verò præcipuè stylo utrumque,
 illud assequabatur, ut loquenti illa Homericæ senis
 mella profluere, & quæ scribebat, complere apes
 nectare & floribus viderentur. Quippe ab ipsis pue-
 ritiae annis literarum studiis addictissimus, ad eos in
 iisdem progressus assurrexit, ut an. adolescentiæ
 XVIII. ex decreto Illustrissimi Hassiæ Principis Acade-
 mia Marpurgensis Magisterii lauream ipsi imponeret.
 Qui idem jam laudatus Princeps, quippe qui de
 ingeniis optimè judicare poterat, eundem hunc No-
 strum Patri suo in munere Ecclesiastico suffecit: sed
 cum ad altiora pro ingenii altitudine aspiraret CRO-
 CIUS, extera loca & inter hæc Bremam quoque
 nostram invisit eique innotuit. Hinc Basileam con-
 cessurus non tantum anno 1609. Genevæ ex cathedra
 Joh. Calvinii, ex qua ille Servetum expugnave-
 rat, honorariis aliquot lectionibus in Academia ha-
 bitis, Socinianismum fortiter expugnare cœpit, quem
 deinceps Antisocinismo in lucem edito planè ivit de-
 structum: sed & Basileæ titulos & privilegia in Theo-
 logia summa, in ipso juventutis flore, an. æt. XXIV.
 ineunte, obrinuit.

Hic autem non dicam, quàm splendidis iisque
 variis

variis conditionibus aliorum sit vocatus, dum mox Genevenses eum sibi addicere tentârunt, mox Gedanenses in locum celeberrimi Keckermanni, mox Silesii Superintendentem quem vocant Generalem, iterum Marpurgenses Theologiæ Professore, Pastorem & Dicasterii Ecclesiastici Assessorem ipsum expetiverunt, quibus tamen omnibus postpositis, Bremensibus se totum consecravit. Qui virtutibus ejus respondentes, non tantum Pastorem in æde Martiniana, inque Schola Philos. Pract. & Theol. Prof. denominârunt, & ad Nationalem Belgii Synodum, anno seculi hujus XVIII. & XIX. Dordraci habitam, cum duobus aliis Theologis M. Martinio & Doct. Henr. Isselburgio, Ecclesiæ Scholæque Brem. Luminibus Clarissimis, Collegis ipsi in opere Domini animo & affectu conjunctissimis, eum ablegarunt, ut ejus decreta cum aliis Patribus ex Verbo Dei sanciret stabiliretque; sed & post obitum Martinii primum, iterum post abitum Combachii Pro-Rectorem eidem demandarunt, cum jam per XX. fere annos in Ecclesia Scholæque insigni cum fructu docuerat.

Hic jam & ubique quanta Ejus fuerit Vigilantia, quanta industria, quanta inde nominis celebritas, vel ipsa invidia nobis tacentibus profitebitur. Emisit etiam in publicum doctissimos cum dogma-

dogmaticos tum elenchticos tractatus, quibus ingenii dexteritatem, iudicii alacritatem, eruditionis copiam posteris commendavit. Quibus etsi Theologiam ab otiosis speculationibus, quæ à bonis jam temporibus Ecclesiæ Dei tot lites & *λεγομαχίας* pepererat, ad antiquissima Prophetarum & Apostolorum tempora revocare, & ad solidiorem pietatis praxin traducere conaretur, (religio mihi est Auditt. vel tantillum hîc ab ipsiusmet Crocii relatione abire) summorum Theologorum, Phil. Melancthonis, Joh. Calvini, Zach. Ursini exemplis laudatissimis monitus, ut & Virorum Maximorum & Nobiliss. Joh. Polyandri Theologi & Dan. Heinsii Polyhistoris, Lugd. Academiæ astrorum lucidissimorum, & Christ. Beckmanni Theologi apud Anhaltinos Celeberrimi, consilio & suasu confirmatus: finistros tamen rumores & obrectationes quorundam effugere non potuit.

Quæ autem & hîc & in similibus mens ejus fuerit, liceat ipsiusmet Verbis docere: *si qua*, inquit Ipse de Se, *magni illius Melancthonis modestia de Controversiis Theologicis mitius nos, quam idem quidam solent, sentire docuit, id nobis non debet esse fraudi, ac si in tractandis controversiis sacris frigidissimi, vel heterodoxis adblaudiamur aut supparasitemur.* Multa hîc prudens sciensque prætereo, quæ de tanto Viro luculenter dici possent, & hoc unum, quod memoriâ & *atten-*

attentione dignum videtur, adjungo: quod nempe Idem CROCIUS ante hos ipsos septem & triginta annos hoc ipsum, in quo Actus solennes frequentantur, quod vel hoc ipso die illustri luce radiat, in quo, cum olim funiculi pyrii aliæque instrumenta bellica visabantur, jam Lux & Integritas resplendet & resonat, quod hoc ipsum Auditorium, hanc ipsam cathedram, diserta de *Arte & Marte* oratione inauguraverit.

Tandem (quæ rerum & bonorum corporalium est vicissitudo) miserandâ in tanto Viro metamorphosi, apoplexiâ ingenii vigor ex parte est extinctus, nec tamen salario aut honore excidit: fecerat enim hucusque quod fuerat officii, quidni frueretur beneficio? Sic olim apud Romanos post confecta stipendia missionem impetrabat miles, quæ labore solvebat, ducebat ad quietem. Extinctum tandem planè est lucidum illud astrum, anno ætatis LXX. ad finem vergente, celebrem eruditionis & virtutum suarum memoriam, nec non insignes ingenii foetus (c) posteris relinquens.

Verùm

(c) è quibus sunt *Parent. de Theol. cryptica. 1615. De persever. Sanctorum cont. Bert. 1616. Exam. falsæ Calvinist. descript. D. Hoë. 1621. Assertio August. Confess. cont. Menzerum, 1622. Syntagma Theol. 1635. Anti-Socinismus 1639. Dyo decas dissertat. 1642. Periculum opinionum. 1644. Contr. Bellarm. disput. Canones Synodi Dordrac. 4. visionib. repet. Orator Ecclesiast. in 12. 1620. It. in Nahum, 1626. Partit. Theol. seu Theol. contr. omnes Brema edit.*

^{sup} Verum & patria tertium nobis astrum dedit,
HENRICUM ISSELBURGIUM, S.S. Theol. D.
 eximium, cuius jam anno seculi XII. inter Theol.
 Bremenses fit mentio, Virum apostolicæ simplicitatis
 amantissimum, (ut collega eius & familiaris ipsum
 vocitat *Crocus*) eruditione tantum, ut ipsius adhuc
 Juvenis fama longè latèque spargeretur. Hinc an.
 sec. VII. Teutoburgo, urbe Cliviæ & Academia ce-
 lebrè Bremam ad Pastorum ædis Marianæ, & post
 quinquennium ad Professionem Theol. vocatus, vas
 per XXII. annos partes eo studio, ea fide, eâ indu-
 striâ administravit, ut non tantum *Patris Cassari* æ-
 dis Martinianæ Pastoris laudes exæquaret, ne dicam
 superaret, sed & acerbo cum Auditorum luctu &
 sui desiderio anno sec. XXVIII. decederet. Tam actu
 fuit severus, vultu serenus, verbis ferius, nihil ut
 ab ore eius (quod in Carolo M. laudari solebat) nisi
 grave & insigni sobrietate definitum, piæque sa-
 pientiæ sale conditum, excideret. Ne dicam inge-
 nii monumenta, inter quæ Disput. Anti-Bellarmini-
 anæ ex-amussim elaboratæ, Analysis Catecheti-
 ca, Manuale pauperum Spiritu & Tractatus de
 Diebus precum &c. stylo vernaculo, aliâque ho-
 dienum superstitionia, ^{sup} E Synodo Dordracena,
 cui cum duobus præcedentibus, consilio Magnificæ
^{sup} *synodum & missiorem sup* *Vindictam in* Patriæ
^{sup}



Patriæ Præsidium interfuit, nomen pii cordatique
 Theologi à Viris maximis reportavit. HENRICUM
 Adeoque tria hæc, quæ iustravimus, astræ
 Theologica, non tantum patriæ luxerunt, sed ju-
 bar suum ad extraneos quoque emiserunt, dum
 communi Patrum suffragio, anno sec. XVIII. ab-
 legati sunt hi (ut sic dicam) Bremensium Triumviri
 ad famigeratissimam illam Belgii foederati Synodum
 nationalem Dordraci celebratam, eo consilio at-
 que ea cum cautione, ne moderata doctrina, cui
 inde à principio Reformationis Ecclesia nostra assue-
 verat, rigidis quorundam opinionibus aut locutio-
 nibus difficilior redderetur, & infirmiores conscien-
 tiæ à cœtibus nostris ad alios verterentur. Sciebant
 enim Viri ejus ætatis Sapientissimi, tam Politici quam
 Ecclesiastici, qui maximam partem è Schola Me-
 lanchtonis erant egressi, scripta Symbolica Bremæ
 recepta (ad quæ ipsi æque ac ipsorum majores, mo-
 tâ quæstione Theologicâ, provocabant) præter S.
 Scripturam, unicam fidei normam, non esse, nisi
 Augustanam Confessionem ejusque apologiam cum
 Corpore doctrinæ Philippi: de cætero à novitatibus
 ita abhorrebant, ut neque formulam Concordiæ,
 neque ullos alios libellos tanquam Symbolicos admit-
 terent. Hinc orthodoxus ille doctissimorum apud
 nos Virorum consensus, qui modestiâ & modera-
 tione

tione in docendo & scribendo usi, uno quasi corde & humero Deo serviebant, eandemque (quod dicitur) erigere Pharum studebant: ut de Alcedoniis nostra sibi Ecclesia gratulari potuisset, nisi inquit ille Spiritus, cui pia hæc concordia fides quasi erat in oculis, ne eadem diurnaret perennaretve, diffarreationem variis artibus captasset.

Sed nolo Camarinam movere, nolo centipitem decollare Lernam: nostri interim Triumviri quâ autoritate, quâ fide, quâ prudentiâ in Synodo sint versati, Acta Synodalia luculenter testantur, nec alia hîc dicenda prolixiorum hujus rei repetitionem permittunt: nisi quod ex ipsis constet Actis, A. XIX. d. 5. Mart. Clariss. Virum M. Martinium publicè in Synodo doctrinam orthodoxam de Persona Christi & utraque ejus natura solidè explicuisse, & quæstiones quasdam à Vorstio contra omnipræsentiâ essentia divinae propositas, accuratè discussisse: aliquot autem diebus post Rever. & Clariss. Doct. H. Isselburgium ibidem publicè Doctrinam de Satisfactione Domini & Servatoris nostri J. C. pro nostris peccatis contra Vorstium & Socinianos asseruisse: sequenti demum septimanâ Rever. & Clariss. Doct. L. Crocium itidem publicè interpretatum esse coram Patribus Synodi, doctrinam de Justificatione hominis coram Deo, atque imprimis quæstionem hanc soli-

de enucleasse; an fides ipsa in Justificatione à Deo
acceptetur pro omni justitia, quam nos secundum
legem præstare tenebamur?



Verum è Belgio Bremam & ad nostros rever-
tamur: ubi jam novum quasi Scholæ oritur astrum,
D. URBANUS PIERIUS, Marchicus, Theolo-
gus Celeberrimus, & poëta non è trivio, unde &
patriæ & parentibus splendorem, quem ab illis spe-
rare vix poterat, attulit. Tribus enim Rom. Impe-
rii Electoribus secularibus in præcipuis Academicis &
Ecclesiasticis officiis magna cum laude inservivit, non
tamen sine magna persecutione. Witebergæ e-
nim, cum Lyseri & Selneckeri placitis nollet sub-
scribere, ad carcerem raptus, ibique per menses
bene multos arctâ custodiâ detentus fuit (unde Mar-
tyris incruenti nomen) donec ad intercessionem
Elisabethæ Angliæ Reginæ dimissus Palatinatum pe-
tuit. Hinc anno superioris seculi ultimo Ambergâ
superioris Palatinatus urbe Bremam accersitus, & in
Venerabile Ministerium cooptatus, decedente post
octennium Pezelio, Superintendens constitutus,
tandem decrepitis ferè jam Professionem etiam
Theologicam in Schola suscepit, & eâ quidem le-
ge, ut Confessionem Augustanam publicè interpre-
taretur, suisque Auditoribus commendaret: erat
enim Theologiæ Melanchthonianæ, quam *Christ. Pe-
zelius*

zelus in hac Schola & Ecclesia ore scriptisque, ut
 simplicem, ut piam, ut modestam, ut veram in-
 desinenter commendârat & inculcârat, assertor &
 vindex strenuus *Pierius*, unde non alium se, quàm
 Augustanæ Confessionis Professore, dici voluit;
 à *Phil.* tamen *Nicolai* Theologo Hamburg. laceffit, &
 modestè orthodoxiam defendit, in Exam. Conc. fu-
 nebr. D. Crellii aliisque scriptis Elencticis, siqui-
 dem Urb. Pierii & Lud. Crocii Disputt. pro August.
 Confessione etiamnum prostant. Sic ergo non mo-
 dò ipse ne latum quidem unguem à puritate ortho-
 doxiæ recessit, sed & Ecclesias bene multas fer-
 mento adhuc superstitionum infectas divino zelo re-
 purgavit, imò turbones quosdam plenis quasi plau-
 stris in orthodoxiam invehentes fortiter & animosè
 repulit. Septuagenarius, an. sec. XVI. decessit,
 totâ suâ vitâ probans, decere Virum Theologum,
 solidæ esse mentis, & pectoris planè ferrei, quod
 vanitas non faciat fluidum, non corrumpant mu-
 nera, non concutiat metus, non favor potentum
 à sinceritate dimoveat. O sanctum illud & candi-
 dum pectus! in veritate semel agnita sine exemplo
 constantissimum! veritatis amore ferventissimum!
 Planè alius igitur fuit *Pierius*, ac ejus in Pro-
 fess. Theol. successor D. PHILIPPUS CÆSAR,
Hassus, homo subtilis & facundus, sed vagi & in-
 con-



constantis ingenii: unde factum, ut cum esset ad S. Ansgarium Pastor, Theologiae Professor simulque Canonicus, temere excederet e Statione, factus Superintendens apud Holsatiae Principem, qui in aula Hassiaca educatus indeque Reformatis addictus, habebat hunc Reformatum, aliumque simul Lutheranum Superintendentem. Reversus post aliquot annos Bremam *Cesar*, ad Cathedram Ecclesiasticam in aede Martiniana admotus est, sed ad Professionem non rediit. Tandem, anno sec. XXIX. quod forte vel universalem vel vanitatis suae metueret Reformationem, turpi vanitate & profanitate, turpiori apostasia, ad Pontificios concessit. Hic est, de quo iterum sagacissimus *Crocus*, sed tecto nomine: Collegis nostris conatus (puta de Syntagmate edendo) supra modum placebat, nemine in Ecclesia Scholave nostra obstrigillante praeter unum, qui tanquam defensor ordinis nostri ad Pontificios defecit. Tegerem quidem, cum eluere non possim, hanc Ecclesiae nostrae maculam, Audiat, nisi occurreret, nullum agrum esse tam purum, qui non inter triticum alat *Zizania*s. O audaciam! O vanitatem intolerandam! Rectius apud Te, inconstantissime *Cesar*, locum invenisset illud ambabus ulnis arripiendum apostolicum: *Non quod mens suadet, sed quod Deus imperat, audi!* Sic sane, non Eoeboli

v. Rectoris *Janii*
oratio in aequalibus
in plura
et de h. v. v. v.
memoria.

lii adinstar nunc Reformatus, nunc Pontificius nescio quâ levitate audire gestivisses, nec religione tanquam tesseriis lusisses!

Sed tuo id insigni damno feceris: nos pergitur ad illum, qui in controversiis Theologicis moderandis lampada aliis prætulit, JOHANNEM LAMPADIUM, liquidum iudicium Virum & pacis sanctæ studiosum, Theologum & historicum non incelebrem, bonum etiam poetam & literatorem. Brunopolitanus hic fuit, & à parentibus studio Theologico consecratus, urgente id maximè Henr. Lampadio avo, Ecclesiæ Brunsvicensis Pastore Seniore, qui doctrinæ Evangelicæ prima ibi fundamenta jecit: hunc Noster in Schola Lutherana, ut Paulus ad pedes Gamalielis, in spem Lutheranismi aliquando cum Zelo propagandi, rigidissimè est educatus. Occasio tamen mutandi sententiam fuit tum contubernium *Otonis Casmanni* hominis piè eruditi, omnibus bibliopoliis notissimi; tum disidia inter ipsos Luther. mota & fota; *D. Hoffmanno* edente errores *Jac. Andreae*, formulæ Concordiæ autoris; tum familiaritas contracta cum quibusdam Bremensibus optimæ notæ & tyrociniis orthodoxiæ per Alb. Hardenbergium traditæ imbutis juvenibus (ex ipsius hæc Lampadii relatione & scriptis hausta fidem utique merentur.) Rostochium ergo à suis ablegatus, à

Dav.



Dav. Chytræo & Sim. Pauli, Viris extra controver-
 siam doctissimis, ad patriam Confessionem redire
 compulsus, contrariis Nath. Chytræi & Joh. Caseli
 argumentis in sententia semel concepta fuit roboratus.
 Hinc Lipsiæ à Nicol. Selneccero acerrimè in
 Reformatos debacchante de novo turbatus, à mo-
 deratoribus, quibusdam ejus loci Theologis iterum
 confirmatus est. Witebergâ Jenam delatus, mo-
 vebatur (ut ipse dicebat) *καινοφωvίας* seu novitatibus
 Doctorum, & à partibus Christoph. Pelargi viri sum-
 mo judicio & incomparabili diligentia stetit. Re-
 giomontem demum delatus & inde ad Rosarum ur-
 bem reversurus, Berolinensis Scholæ Rector deno-
 minatus fuit, cui tamen, quòd patre hæctenus vi-
 vente studiorum sumtus affatim suppeterent, se sub-
 traxit: donec anno sec. elapsi XLIII. ad Scholæ
 Brunsvicensis gubernacula admotus, ob Calvinismi
 (ut loqui vulgus solet) suspicionem illinc cedere fuit
 coactus. Consultis igitur per transitum Professo-
 ribus Tubingensibus, Marpurgensibus & Lugdunen-
 sibus, Heidelbergæ fortunarum suarum sedem fi-
 xit, ubi Historicam Professionem sustinuit. Dehinc
 Bremæ ad S. Stephanum Pastor ab anno huj. sec. III.
 post decennium Historiarum & Theologiæ Prof. ad
 annum 1621. quo ad cœlestia migravit. Ingenium
 & solertia Viri etiamnum patet cum ex continuatio-
 ne,

Non jam addo, nec tempus aut institutum nostrum fert, alios qui post hoc curriculum in cathedra Theologica sacris apud nos operati, & illasâ veritate, quam scriptura consignat, pacem sectati, in locum omnibus beatis communem feliciter emigrârunt: ex quibus Doct. BALTHASAR WILLIUS, ab anno huj, sec. XXVIII, Philosophiæ Practicæ, deinceps Theol. Pr. P. ad ædem Marianam Pastor & Ecclesiarum Superintendens meritissimus, ex *Præceptis Ethico-Politicis, Analyticis sacris, Exercitationibus Dominicalibus & Notis in tres Prophet, poster.* Theologis notus: HERM. HILDEBRAND, per XXVIII. annos ex cathedra Ecclesiastica ad S. Steph. per sex a. annos ex Scholastica accuratissimè docens, cujus *Orthodoxa declaratio* Ecclesiæ tum nostræ statum depingens etiam exteris non ignota est: M. JOH. SCHILDIUS, ad S. Ansgar. Past. Histor. & Gr. L. demum etiam Theologiæ Prof. solidissimus, multis præsentium cognitus: JOHANNES COMBACHIUS Hassus, Theologus, Scholæque per unicum tantum lustrum Rector, qui ab illustriss. Hassiæ Principe in patriam revocatus publica oratione Bremensibus valedixit: demum HENR. FLOCCENIUS, Theol. D. primùm ad S. Rembertum suburbanum Pastor, tum Theol. Prof. P. in Acad. Hollandica Hardervicensi, unde Bremam redux in æde



Will.



Hild.



Schil.

X

Ste.



Flock.



Comb.

Stephan. Pastor & SS. Theol. Prof. laboriosissimus, uti Comment. ejus in Genesin, & Synopsis purioris Theol. prolixioris, aliâque testantur.

Missis igitur his & æternum salvere jussis, transimus ad illos, qui benignissimo Incluti Senatus Brem. indultu ab annó X. Linguam in *Jure utroque*, enodando Professoriam exercuerunt, qui quidem & omnes ad beatas jam sedes sunt evocati. Inter quos eminuerunt Viri æternâ memoriâ dignissimi, qui summâ non tantum solertiâ Gymnasii cives in Juris & æqui cognitione solida informarunt, sed plerique deinceps toti alicui reip. aut communitati inservierunt: de quibus dicam, non quæ ipsorum Virtus & celebritas meretur, sed quæ Ego pro mea imbecillitate potero: ignoscant interim Beati illorum manes, quòd ipsorum in Scholam hanc merita & laudes brevis levisque oratiunculæ ambitu circumscribere coner: si enim omnia enarrarem, tam laetus se panderet Oceanus, ut vel exundans Nestorianæ prudentiæ vel Tullianæ eloquentiæ Nilus plane deficeret.



Hic autem & ordinis & temporis ratione agmen ducit HENNINGIUS BIESTERFELD, Bremensis, U. J. D. raro tum apud nos exemplo, qui laudato hodiè Casparo Alteneich, ante plusculos jam tum annos defuncto successor constitutus in Cathedra Juridica,

ne & editione Mellificii historici Pezeliani, tum ex Disputationibus ejus luculentissimis de Conciliis, quorum Canones utiles à superstitionis discrevit; (d) nominatim verò Concilium Tridentinum (pro quo tanquam Helena vel Ilio, imò ipso suo Palladio manibus pedibusque decertant Pontificii non decennali, sed centenniali & ultra bello) ad incudem revocavit, & ad S. Scripturæ normam Patrumque censuram examinavit piè eruditus *Lampadius*. (e.)

Agmen demum Septem Virorum in Theologica cathedra Bremensium pro hoc curriculo claudat **CONRADUS BERGIUS**, SS. Theol. D. & Prof. orthodoxus & pacificus (probante id ipsius commentario *De fide catholica*) primùm ab an. sec. XXIV in Acad. Electorali, quæ ad Viadrum floret; dehinc ab anno M. DC. XXX. apud nos Prof. & Ecclesiæ Ansgarianæ Pastor, moderaminis studio deditissimus, omnigenæ eruditionis, pietatis, patientiæ & integritatis, omnium denique Christianarum virtutum nobile instar, sententiarum quarundam infamium à nonnullis ipsi impactarum minimè affinis. Cujus eruditio & virtus in seram posteritatem & æternos an-



X nos

(d) *Impress: Brem. 1617.*
(e) *Exstant ejusdem Triumphus Christi in 4. Brem. 1617. Censura Ubiquitat. contr. Selnecc. varia opusc. Marp. 1609. Bertramus in 8. 1614. Item Schriftmäßiger Gebrauch der Lehre von der Gnadenwahl / in 8. 1620.*

nos jugiter successura, in senium & oblivionem apud Deum & bonos nunquam verget: calumnias autem vita ejus integra, bonorum memoria, & scriptorum editorum testimonia (quorum mole exiguorum, rebus gravidorum, numero variorum enumerationem nec tempus nec charta fert) in ruborem dabunt aut pallorem.



Necdum tamen abire hinc possum & carceres primos claudere, quin Te per orbem orthodoxum celebrem JOHANNEM COCCEJUM verbo saltem compellem (quid enim luminis soli facula affunderet? quid giganti nanus mutuaretur roboris?) fuisti Acad. Lugdunensis sidus clarissimum, nec jubar tuum unquam, dum orbis orthodoxus in orbe erit, occidet: Tu, cum linguarum Orientalium scientiâ singulari pollere meritò credereris, factus es apud nos in Patria Tua Philologiæ Sacræ Professor ad an. usque MDCXXXVI. & sic uno tantum sexennio nobis luxisti; dehinc Franequeram ad Frisios evocatus, nobis occidisti, Belgio ortus, nescio majorine patrii Lycei damno, an tuo bono? hoc sanè edico (sed præfiscini) ad tantam nominis celebritatem aut rerum Theologicarum admirandam *vix ullum alium ascendisse, unde honor, qui generosa excitat ingenia, Te meritò est sequutus.*

Non

Quin ipso hoc tempore Amplissimis Scholæ Ephoris placuit duobus jam nominatis addere HENRICUM à CAPPELN, Juris profitendi Licentiâ ornatum, qui per annos etiam XI. laudatissimum Professore egit: unde ejus dignitatem aucturi Patres, reip. Senatorem, tum Judicem, ac demum Consul ubique optimum elegerunt, qui æquitatis laudem cum mansuetudine ita combinavit, ut, cum fatis festinantibus ipsis Cal. Januar. anni XLIX. sepeliretur, publicus civitatis luctus eum sequeretur: quandoquidem Ejus Professoris acumen & industriam Cathedra Juridica, Senatoris prudentiam Curia, Judicis æquitatem tribunal, Consulis fidem Civitas experta, meritò venerabatur.

Hæc igitur Nobilissima Jctorum Triga simul, quod adhuc insolens erat in nostro Gymnasio, Jura docuit: deinceps promotâ ad Publica, ipso opere demonstravit, solidam eruditionem non acquiescere in theoria, sed tendere ad praxin, Virumque verè politicum nunquam minùs esse otiosum, quam cum otiosus; aut minùs privatum, quam cum privatus.

His ita ad Reip. clavum admotis, apud nos Cathedram Juridicam, volente Magnif. Senatu, occupavit JUSTUS REIFFENBERGIUS, qui primùm (sed ad exiguum fortè tempus) Herbornensem e-
git





git Professore, post Rintheliensem, Polyhistor. & Poeta ex Epigrammatibus & scriptis inter quæ Commentatio in Instit. Juris in 12. notus. Rinthelio (cujus oppidi & Academiae descriptionem edidit) bellicis turbis pulsus huc venit, *Johanni à Line*, Senatori facto in Professoratu substitutus. Abiit hinc in Frisiam, vocatus Prof. Franequeranus, ubi docendi, scribendi & vivendi finem fecit. Edidit præter superiora *Joh. Boteri* Politiam Regiam cum notis, qui liber ut elegans & doctus est, ita non inferior est adita hæc *Reisenbergii* commentatio: quin & alia vulgavit, inter quæ Emblemata Politica (*Herbornæ* in 4. edita 1620.) opus probans authorem suum profundioris Literaturæ non expertem.

Hunc autem in Frisiam abeuntem in Professione sequutus est FRANCISCUS PIRENIUS, Vir profundi ingenii & eruditionis, vitæ modestæ & sedatæ. Et huic post XI. annorum decursum Professoratus in Senatoriam dignitatem commutatus est, auctam post novennium Judicatu, & decennio ab hinc ipso Consulatu, morèque ita tum ferente, Scholarchatu: quibus muniis summâ fide & dextertate perfunctus est.

Demum XXVIII. sec. huj. anno GERHARDUS COCH, memorati supra *Johannis Cocceji* frater, subacti ingenii, indefessi laboris & eximie prudentiæ

Vir,

dica, vir probus & industrius, Collegarumque amans (quod ex pia illa Cassæ seu Arce, quam vocamus, Viduariae patet constitutione, inter primos cujus fundatores & suum Hic Noster nomen professus est, adjectâ certâ æris sui summâ) qui post XI. ferè annorum labores hos publicos, piè & laborandi & vivendi finem invenit.

Cui adhuc vivo adjunctus itidem Nostrâs HENRICUS BRÜNINGIUS, publico non minùs Juris scientiæ testimonio Clarus, Vir doctus & rerum Politicarum callentissimus, ob eruditionem morumque elegantiam & Collegis & Studiosis admodum gratus, illos sibi devinxit, hos sibi suisque Lectionibus addictissimos habuit. Hinc an. sec. XIV. in numerum Senatorum cooptatus, potuisset patriæ & sic, id quod in Gymnasio optimè fecerat, utilissimè inservire, nisi in medio vitæ virtutumque curriculo, præmature fuisset fato abreptus.

Illi igitur Senatori electo in professione Juridica successit JOHANNES LÜNING, Jurium D. qui post unius anni circiter spatium secessit Bremâ, in aula vicini cujusdam Comitis factus Cancellarius.

Et hunc excepit THEODORUS LANGIUS nostrâs, cujus singularem prudentiam & fidelem operam magno suo cum fructu sensit non minùs in consulendo Patria, quam in docendo Schola. Fuit



Lüning

enim Jurisperitus Consultissimus, in Ill. Gymnasio Antecessor Clarissimus ab anno sec. XVI. quo abiit *Lüningsius*, ipse autem *Langius* rediit Marpurgo, ubi summum in utroque Jure gradum, magno omnium applausu, erat adeptus: quin hoc ipso etiam tempore cœpit jam Reverendissimo & Illustrissimis Principibus, Archiepiscopo Brem. & Duci Holsatiæ à consiliis esse: sed anno septimo post à laudato jam Archiepiscopo in aulam evocatus, inque numerum Consiliariorum aulicorum adoptatus, Professione se abdicavit, & ad an. XXXII. in aula permansit, quo Syndicatu in Rep. patria suscepto, Viennam ad aulam Imperatoriam ablegatus, ibidem m. Sept. anni XL. extinctus est.



Interim tamen *Biesterfeldio*, anno jam XXI. obeunti surrogatus est Juris Professor JOHANNES à LINE, Jctus eximius, qui summa cum laude, annis aliquot continuis, nec minori cum fructu docuit: ex Professore autem factus Archiepiscopi consiliarius, sed Patria eruditione & virtutibus civis sui ad maximè ardua usura, dignitatem ipsi Senatoriam obtulit, inque numerum Patrum suorum elegit: quorum nobile sanè membrum fuit. Sed in legatione Pragensi prematurè defunctus & Patriæ & familiæ acerbam cladem infixit.

Quin

Vir, absolutis per Celeberrimas Germaniæ Academi-
 as peregrinationibus, inque iis studiis theoreticis,
 Argentorati summis Doctoratus honoribus macta-
 tus, in patriam redux, Ill. Gymnasio datus est in Ju-
 re Antecessor, simulque (quò eò latius ipsius virtus
 latere nescia pateret) Syndicus Capituli Stephan. fa-
 ctus, quam utramque Spartam per annos XII. ita
 adornavit, ut famâ ejus ad Belgas emanante, Lug-
 dunum ad Juris Professionem evocaretur: sed pa-
 tria, quæ eo ipso temporis Eum sibi eligebat Sena-
 torem, suis eum usibus reservavit, variisque mu-
 neribus publicis, ut & Legationibus adhibuit: im-
 primis famosæ illi Transactioni pacis Osnabrugæ Mo-
 nasteriensi, ubi integrum ferè lustrum non sine sua
 laude patriæque commodis est commoratus. Non
 jam hujus sunt loci, & aliunde nempe ex parenta-
 tione *Excellent. Junii* Profess. Groningani publicè de-
 functo apud nos Coccejo Groningæ habita constare
 possunt ea, quæ ipsi honestum ambienti otium, &
 ex Patria in Frisiam secedenti, evenère, egregia
 omnia & tantâ virtute digna: donec anno & ætatis
 suæ & seculi LX. hîc in patria, quorsum suos visurus
 & res suas compositurus excurrerat, generosum spi-
 ritum edidit.

Et hæc sunt novem quasi Musæ hoc vicennio au-
 ditorium Juridicum suâ voce & utili & jucunda per-
 sonan-

sonantes, Gymnasiumque Illustre sua virtute & eruditione illustrantes: quas deinceps exceperunt Viri Eminentissimi, quorum vel memoriam vel praesentiam ne mea tenuitas offendat, eos nominare saltem liceat. Sunt autem hi, Utriusque Juris Doctores & Professores Celeberrimi, LUDERUS CÖPER, post Assessor Dicasterii Frisiae Orientalis: JOHANNES WACHMAN, cujus canos de se in Syndicatu tricennali optimè meritos etiamnum veneratur Brema: CONRADUS SCHNELLE: SIMON ANTON ERP von Brockhusen: GEORGIUS CÖPER: ille Senator, iste Consul, hic Senator & Judex optimi etiamnum nominis, Legationibus variis insigniter de Rep. meriti. Demum post illos JOHANNES CÖPER, etiam post Senator & Judex laudatissimus: CHRISTIANUS & HERMANNUS SCHÖNEI, fratres, quorum ille publicae etiamnum rei Senator egregius invigilat, hic cum gravitatis laude ante annos aliquot Professor obiit: OTTO PHILIPPUS ZEPPERUS, Vir doctus, integer & scriptis clarus: JOHANNES BAKE, post Vice-Syndicus, in legatione Viennensi nuper defunctus: FRIDERICUS CASIMIRUS TILLMAN, jam Senator Amplissimus: JACOBUS HÜNEKEN, Dicasterii Frisiae Orientalis Assessor hodiernum & Consiliarius: HENRICUS MEIER, opti-



optimus Senator; & NICOLAUS HEERDE, in ipsa vegeta ætate & virtutum indefesso cursu nuper defuncti.

Dictas autem superiores quin & hæcæ vel *Musas* vel *Themidas*, tres in *Medicina Gratiæ* comitatæ sunt, gratiam sui memoriam cum primis iis, quos cum Hygeja in gratiam redegerunt, relinquentes. Crescente enim indies Studiosorum numero, circa annum seculi XIII. duo Professores Medici ab Ampliss. Senatu denominabantur BALTHASAR RAIDIUS & ANDREAS ADAMIUS, Medicinæ Doctores Experientissimi, quorum tamen hic non adeò diu Bremæ substitit, sed anno vertente Verdam commigravit, ibidem Praxi Medicæ apud Reverendiss. Archiepiscopum vacaturus: *Raidius* autem hinc ad aulam Palatinam, sed paulò post ad Electorem Coloniensem, cujus Archiater factus, simulque cum suis ad religionem Pontificiam temerario ausu secessit.

Quibus proinde vel additus vel substitutus Vir nunquam satis laudatus, Reip. & Scholæ nostræ decus, GERHARDUS de NEUFVILLE, Vesaliensis, magni Geographi *Gerhardi Mercatoris* ex filia nepos, Philosophus, Medicus & Theologus perspicacissimus, siquidem Disputationes ejus quædam Theologicæ summa cum *ἀκρίβειᾳ* & soliditate conscriptæ, & publicè, absentibus in Synodo Dordra-



cena Theologis nostratibus, habitæ prostant. Hic
 primùm sub ipsa Gymnasii instauratione anno sec.
 XI. *Hunoldo* (de quo pòst sub Philosophis) Physicâ
 Professione decedente, vocatus in ejus locum est
 Heidelbergâ, ubi Mathesin extraordinariè docuerat,
 optimarum tum Artium Magister, pòst anno XVI,
 in Medicina summos sibi Basileæ honores sumsit. Un-
 de redux, mutatione in Professione Medica factâ,
 cum Physicis & Mathematicis disciplinis lectiones Me-
 dicas junxit, easque per duos & triginta annos cum
 insigni Scholæ decore, magno Studioforum emolu-
 mento, & summa sua laude continuavit. Et quod
 maximè in ejus cedit gloriam, non tantùm ingenii fuit
 acutissimi, sed & quò doctior, eò modestior, ut,
 qui ei parentabant Collegæ, stuperent Eruditio-
 nem cum maxima pietate, animi integritate & man-
 suetudine conjunctam. Reliquit Arithmeticam,
 quam non solùm practicè deduxit, sed & solidis de-
 monstracionibus confirmavit; sedidit etiam Physi-
 cam Generalem, quâ id intendit, ut qui communes er-
 rores in hanc disciplinam irreperant, Mathematica-
 rum imprimis disciplinarum beneficio instauraret.
 Ultra annos XXXVI. cum Viris Clarissimis *Crocio*,
Tesmaro, *Willio*, *Hanewinkelio* Collegis conjunctis-
 simè vixit, atque hinc valde utilem operam Scholæ
 docendo, Reip. praxin Medicam exercendo præsti-
 tit

tit, donec a. XLVIII. in æde Stephan: (cujus etiam
 Canonicus fuerat) sepeliretur.

Nec hinc ulterius addere aut libet aut licet (ur-
 gemur enim & temporis angustia & dicendorum ab-
 undantia) CHRISTIANUM FRIDERICUM
 CROCIUM Ludovici filium, Med. Doct. qui,
 cum paucis hinc annis Professor fuerat, ob insignem
 qua pollebat Linguarum Orientalium peritiam Mar-
 purgum evocatus, ibidem publice easdem cum Me-
 dicina professus est: nec, qui hunc excepit, JO-
 HANNEM CÖPERUM Med. D. & per annos com-
 plures Professore ac Practicum felicissimum: aut
 HENRICUM HARMSENIUM primum Physicam,
 tum Medicinam solide in Gymnasio tradentem, &
 ob felicitatem Praxis Medicæ desiderium sui multis
 relinquentem, cum in medio ferè virtutum & lau-
 dis curriculo, præcoci fato abriperetur.

Devehimur sic paulatim, Auditt. ad eos, qui
 durante hoc curriculo in aliqua Philosophiæ discipli-
 na, aut Philologiæ tam Hebraicæ aut Græcicæ quam
 Romanæ parte, suam Studiosæ juventuti operam pu-
 blicè commodarunt. Quorum priores duo jam ab
 initio seculi sexcentissimi post millesimum à nato Chri-
 sti hinc fuerunt, sed cum ipsorum labores cum acces-
 su *Martini* in certum compacti sint ordinem, & ipsi

totum ejus vicennium superstitarint, hinc meritò à nobis recensentur.



JOHANNES igitur TESMARIUS pater, Gryphiswaldâ Pomeranus, ex comitatu Lippiaco ab *An-
drea Widmaro* ejus temporis Rectore huc adductus, insignis Philologus, primum Græcæ & Lat. Linguae, post titulo ampliore Eloquentiæ Professor. Hic, quia ultra octo lustra seu XL. annos Scholæ Publicæ, simul & Pædagogicæ in Prima Curia inservivit, idque singulari industriâ, ab omni vanitate, fastu & *πονηρ-
μοσίη* alienus, laudabilis utique & Scholæ nostræ proficiuus quam maximè fuit. Edidit præcepta Rhetorica probatissimis autorum classiorum exemplis insigniter illustrata. Conscripsit etiam egregium Exercitationum Rhetoricarum, tam in analysi quàm genesi oratoria utilissimum, opus. Quem suum laborem publicè privatimque ad mensem Aug. anni MDCXLI. continuavit, ubi ipsi vitæ saturo placidè conquirere est datum.

Paulò autem post *Tesmari* accessum, anno præsentis seculi IV. è Schola Nassovica Bremam delatus quoque est M. JOHANNES WILLIUS Hassus, qui & Primanos & Studiosos publicos Philosophiam solertissimè docuit, ob ætatem ad multos annos productam, & optimum in Scholam ejusque alumnos animum laudatissimus. Unde etiam anno sec. X.
sub

sub adventum *Martini*, Scholæ formâ aliquâ ratione immutatâ, cùm laboris & industriæ tam in publicis quam pædagogicis plus esset, quàm ut unus eisdem Rector sufficere videretur, volentibus ita Proceribus, dictus hic *Willius* Pædagogeï seu classium inferiorum Rector, quem Pædagogearcham vocamus, constitutus est: cui etiam Sparta pro viribus divinitus ipsi concessis bene præfuit ad an. seculi XL. Quin huic non tantùm varios libros Scholasticos ipsius curâ & impensis excusos typis, sed & Præcepta Logica & Metaphysica, Rudimenta doctrinæ Sphæricæ, Introductionem ad artificium disputandi, ejusque generis alia ab ipso conscripta debemus.

Brevius quidem Bremæ subsistendi spatium nactus est, qui hos anno sec. X. sequebatur HERMANNUS HONOLDUS Physices & Mathematicum Professor, homo sale & facetiis conditus, qui ex comitatu Hanovico huc delatus, operam quidem suam Gymnasio addixit, dictasque duas disciplinas publice docere cœpit; sed cùm ipsi commodè fortè subsistendi media deessent, sequenti statim anno hinc abiit in vicinum nobis comitatum Lippiensem, ubi post alia officia Politica aulicus factus, apud Celsissimum illius diæcesis Comitem magnificâ Satrapæ provincialis dignitate functus, obiisse dicitur anno MDCXLVII.

Huic igitur qui à superioribus succenturiatus
GER-



GERHARDUS de NEUFVILLE, quod prædeces-
sori defuit, explevit, per septem lustra provinciam
sibi demandatam administrans: quin & hoc tempo-
ris intervallo Historias publicè professus est JOHAN-
NES LAMPADIUS. Verùm cum Ultriusque lucu-
lenta superius facta est mentio, hujus quidem inter
Theologos, illius autem inter Medicos, transeun-
dum jam nobis ad alios.

Occurrit ergo hîc ab anno jam XI. seculi cum
Scholæ instauratione temporis ratione primus, Vir
sacrarum literarum & linguarum optimè gnarus,
GERHARDUS HANEWINKELIUS, Pastor ad
S. Joh. & LL. Orientalium Profess. meritissimus, quas
non tantum publicè exactè docuit, sed & fundamen-
ta earum in Grammat. Hebræa & Aramæa, Dyode-
cade Plalmorum Hebr. Chald. & Syriacè editorum,
Syllabo radicum Hebræarum, solidè inculcavit.
Hic, postquam Herbornæ Clariss. Piscatore, Hei-
delbergæ Celeberr. Pareo, Theologis, Basileæ insigni
Philologo Joh. Buxtorfio Seniore, & Præceptoribus
& Hospitibus fuerat usus, in patriam reversus, in SS.
Ministerium ad ædem Johannis Pastor admissus. Pro-
fessionem linguæ sanctæ adiit (postquam per unum
alterumve annum in Prima Curia docuerat) quam
ab anno XI. seculi ad annum LXIX. emortualem
laudabiliter sustinuit, licèt ultimis annis Collegas hîc,
& ibi

& ibi successorem habuerit, ob deficientes cum annis non tam animi quam corporis vires: rarissimo enim exemplo per gratiam divinam, accedente optimâ diætâ, ad octogésimum sextum annum ætatem protraxit, adeoq; munere Ecclesiastico per XX. Scholastico per LVIII. ann. defunctus est.

Ultimus jam hujus ordinis & curriculi restat EILHARDUS GARBADIUS SS. Theol. D. & Canonicus Stephan: egregiè doctus & poëta non contemnendus, sed, quòd mala ipsi cum Hygeja gratia intercederet, ingenii vires pro lubitu exserere ipsi non æquè semper licuit, imò per unicum tantum annum docuit in Gymnasio Philosophiam Practicam; anno enim XXVIII. ipsi jam defuncto in Ethicæ & Politicæ Profess. successit D. BALTHASAR WILLIUS, post Theologus. JOH. COCCIJUM Philologæ sacræ apud nos cum fine hujus periodi Professore, jam antè suo merito, infra tamen meritum, commendavimus.

Præter hos autem, JOACHIMUM DECHERUM J.U.D. & Philosophiæ Practicæ Professore, Bremâ Francofurtum ad Professionem Juridicam vocatum: TILMANNIUM de NEUFVILLE Matheseos, cui RODERICUS DOZEN, sumæ eruditionis & acerrimi Judicii Vir destinatus fuerat: JOH. TESMARUM Juniores, Poëtas & Floquentiæ, post Scholæ Emdensis Rectorem: CHRIST. FRIDER. CROCIUM M. D. & Philol. Sacræ: JOH. HIPSTEDIUM Historiarum, Floquentiæ & Græcæ Linguae, & Bibliothecarium: BERNHARDUM CLAUSSENIUM, Hebraicæ Linguae, & Pædagogarcham: LUDERUM KANNENGIESERUM Physicam publicè, Logicam autem in Prima Pædagoge curia apud nos docentem, Gymnasii post Anhaltini, quod Servestæ est, Rectorem & Professore: & nuper GERHARDUM MFIERUM SS. Theol. D. & Mathematicum, jam Ecclesiæ Stephanianæ Præconem: omnes in aliqua



vel Philosophiæ vel Philologiæ parte Professores apud nos ad tempus solidissimos, meritissimos, silentio involvere tempus me jubet.

Sequuntur ergo (ut tandem curriculum propositum absolvam) sequuntur demum, qui ut animum rerum huc spectantium eruditione varia & multiplici instruxerant, ita summo studio concreditos sibi in Pædagogo adolescentulos ad humanitatis sacra deducebant, ut necessariis sic in tempore munimentis instructi, fortiter adversus ignorantiam & ruditatem seculi armarentur. Sunt autem hi, quos breviter tantum recensabo, plerique ob eruditionem & dexteritatem in munere Scholastico ad superiora eVecti & ad Ecclesiastica promoti, gnaris nempe illis qui Reip. præsunt, quorum est poenas non tantum sed & præmia pro meritis dispensare, Sibyllæ quasi folium esse, imò ex tripode oraculum dixisse, quicumq; dixerit, *beneficia orbem continere* & *gratias*: quò & promotionem digniorum ad superiora & splendidiora vel jure nostro referimus.

Ergo præter BERNH. SCHRÖDERUM, veteranum hic militem, ab anno jam XC. superioris seculi Scholæ Collegam: GERH. FLOCKENIUM Cantorem, Musices pro illa ætate callentissimum, post voluntatum diu in Schola Saxum, ad Rembert: in suburbio Pastorum promotum: CHRISTOPH. STENIUM, serium & moderatæ, utut arctioris, disciplinæ tenacissimum: & RICMARUM STRUCMARIUM artis ingenia puerilia cum judio tractandi scientissimum, qui omnes jam hodie laudati, & laborem Martinio accedente continuarunt.

Præter hos, inquam, Juventuti Classicæ informandæ præfuerunt M. HENRICUS OLDENBURGIUS, Secundæ Classis Præceptor, ex rigida, prudenti tamen summæque utili disciplina laudatus, postea Derpatensis in Livonia Academia Professor: JOH. à BENTHEIM, ex Schola Nassovica Si-

genen-

genensi huc vocatus, ab anno sec. XII. superiorum duarum Classium moderator, qui postquam per XXXVI. annos munere Scholastico probè erat functus, demum Pastor ad S. Rembertum electus est: sic etiam HERM. HILDEBRAND operam suam Pædagogo in Prima Curia commodavit, simul extraordinariè in æde Stephan. docuit, donèc anno seculi XXII. Lampadio in ordinario ibidem docendi munere, tandèmq; etiam in Professoratu successit: THEODORUS à LASTREN, summæ ædis & hinc Bremæ & Verdæ Vicarius, ab anno etiam XII. Pædagogi Collaborator, probè ac diligenter munere defunctus, de puerili ætate per annos XXXIII. non malè meritus Præceptor: *Stenio* autem in Classe V. successit CHRISTOPH. KNIPPINGIUS pater, Vir ob singularem pueros informandi & educandi peritiam per urbem notus, & absoluto quinquennio in locum *Floccenii* ad Pastorum Rembert. promoti Cantor, cui multi fortè nostrum etiamnum magnam educationis suæ puerilis partem referunt acceptam: quem excepit URBANUS PIERIUS Junior, Doctoris & Superintendentis cognominis filius, qui cum per sex modò annos in hac statione vixerat & Scholæ inservierat, locum fecit HENRICO BUTENDACH, qui ob insignem Calligraphiam & Arithmetices notitiam, cætera ferè *amorem*, & vivus amorem, & mortuus nomen optimi ludimagistri obtinuit.

Tandem (ut & hinc extremum quid habeat oratio) M. JOH. SCHILDIUS superius jam inter Theologos nominatus, & PETRUS *Varenholtz* successivè in Pædagogo docuerunt Græca, cujus literaturæ uterq; ita erat peritus, ut non Græcè doctus, sed penè Græcus haberi potuisset: HENR. autem LUHTMANNUS Lippiacus per annos complures Grammaticam in tertia Curia non infeliciter docuit: quorum ille *Schildius* ad D. Ansgarii Pastor & Gymnasii Professor factus; iste *Varenholtz* mortuo in æde Marrianiana Capito-

ni substitutus; hic *Luthmannus* ecclesiae Ansgariana, (sed per biennium tantum) Pastor fuit.

Hos autem, qui ab anno circiter XXX. seculi ad nostra usque haec tempora in Paedagogo docuerunt (jam autem vel ad coelestem Academiam vel alio promoti) indeque solertia & probitatis laudem meruerunt, nominasse nobis sufficiat, alii forte vel tempori vel oratori uberiores eorum memoriam relicturis: sunt autem hi, BARTHOLDUS FLOCCENIUS, EUGHARIUS CANCRINUS, JACOBUS CRUCIGER, Bremam aliorum commigrantes. Sequentes tredecim, CHRISTIANUS SAGITTARIUS, JOH. JOACH. NEANDER, ANDREAS STENOVIUS, CHRIST: KNIP-PTINGIUS Junior, etiam Cantor: JOH. a LASTREN, MATTHIAS BUTJENTER, JOH. FARVER, HENRICUS LÜDERI, ARNOLDUS HEINIGHAUSEN, HENR. METTENGANG, DIRICUS KOITHAN, ROBERTUS BARKEI, JOH. VEFNHUSEN, omnes post solertem in sua quisque statione vel classe laborem, cum diligentis solertiae laude hic sepulti quiescunt: praeter JOH. DÜSING ex Scholae Praeceptore Pastorem Neapolitanum, jam defunctum. EBERHARDUS autem HOFHAM & JOH. TABINGIUS, ille Pastor in aede Joh. & Stephan. electus, hic ad Recturam Scholae Fmdanae promotus, etiamnum superstirant.

Restarent jam pro postrema Orationis meae parte, ut de illa Dei clementia dicerem, qua nobis, qui jam hic vivimus, praesentemque festivitatem laeti celebramus, Patronos imò Patres majoribus suis hac in parte simillimos; qua dignos suis quosque locis Professores; qua Spartam suam exornantes Praeceptores; qua denique solertes maximam partem & ingenuos verae & reconditae sapientiae Studiosos largitur; quod utique ad singularem & paternam Nummis erga nos indulgentiam est referendum. Qua de re mihi sane dicere perquam est difficile, tum quod ea promtorem & audacio-

daciorem Meâ eloquentiam requirant, tum quòd præsen-
 tia Vestra, *Magnifici Patres & Scholarchæ, Clarissimi Pro-*
fessores, Humanissimi Classium Moderatores, me hic non
 sollicitum, sed trepidum etiam reddit. Novi etenim, mo-
 destiam Vestram verissimas etiam laudes coram non ad-
 mittere, & præsentium onerare pudorem temerarium fo-
 ret; itaque in ea parte argumenti, quæ curam oratoris ma-
 ximè requirit, video mihi à vobismet ipsis silentium imponi.
 Non igitur deprædicabo (quod utique æquissimum
 foret) sollicitam semper curam propensumque in *Scholam*
hanc animû Inclitorum DOMINORUM, quos præsentis
 intuemur & veneramur: ex quibus Magnific⁹ Dn. LUBER-
 TUS FORMENOIR & Amplissimus Dn. HERMANNUS
 DUERHAGEN, præter Consularem & Senatoriam digni-
 tatem aliâque munia publica, Scholarchatu vel hodierno
 die magnificè funguntur. Non dicam Magnificum & Ve-
 nerandum Gymnasii Rectorem, GERHARDUM MEIER-
 RUM patrem, SS. Theol. Licent. qui à XL. annis in Phi-
 lologia Eloquentiæ Professor & Pædagogarcha, in Philo-
 sophicis Logicam publicè, Mathesin privatim docendo, in
 Theologicis maximè, imò in viginti octo annorum Rectu-
 ra de toto Gymnasio optimè & olim & etiamnum meretur.
 Nec memorabo Trigam Venerabilem solidissimorum
 Theologorum: Doct. FRANCISCUM KÖHNÆUM, jam
 ultra binas annorum decades Theologicam, ultra ternas
 autem Philosophicam in Practicis cathedram exornantem:
 CORNELIUM de HASE & Doct. MATTHIAM BOOT,
 insigni cum eruditionis & industriæ laude. *Illum* præter Ec-
 clesiastica officia etiam Vet. Testam. vaticinia solidè illustran-
 tem; *Hunc* Novi Testam. oracula dextrè juxtà cum Histo-
 riis enucleantem.

Nec laudabo Nobilissimam Jurisconsultissimorum
 Doctorum Quadrigam, DIDER. ZIERENBERGIUM,



Antecessorem & generis nobilitate, & eruditione etiam in humanioribus clarum: JOH. à RHEDEN & JOH. FERH. SCHWELINGIUM, utrumque docendi & perspicuitate & soliditate Vobis, Juris Cultores; hunc autem Vobis etiam, Philosophiæ Naturalis Studiosi, jure commendatissimos: ut taceam GERHARDUM MEIFRUM JCT. per Semestre quidem Jura docendo egregia molientem, sed satis dirigentibus ad curiam promotum, qui tamen, ne *σιμωλ* abiret, nudius quartus Disputationi de Solutione Naturali præsidium tuum eruditissimum non denegavit. Nec dico Medicum & Reip. Physicum, Doct. JOH. FRIDER. à CAPPELN, cujus eruditæ solertiæ Medicinæ, quin & solidioris literaturæ Studiosi, Botanica & Anatomica exercitia in solidum debent.

Taceo denique (nec enim prolixiori esse licet) & alii transcribo reliquos Professorii ordinis memorandos: HENRICUM WAGENFELDIUM Philos. Mag. non modo Facultatis, sed totius Venerabilis Professorum Collegii Seniores, olim Physicam, jam Methaphysicam & Logicam pro ingenii sagacitate acutè docentem: HENR. ALERS inter meditationes Ecclesiasticas Sacram Vet. Testam. linguam solidè inculcantem: ALBERTUM MEIERUM J. U. D. Mathematicas disciplinas solerter & accuratè tractantem: FRANCISCUM BARINGIUM, Græcæ literaturæ adyta Studiosis exactissimè pandentem.

Imò verò & taceo præsentis Humanissimos tenerioris in Pædagogico adolescentiæ moderatores, præter eos qui simul publicè legunt, CASPARUM CURTIUM, LAURENTIUM ROHTBAR, HENRICUM BARKEI, JOH. HIERONYMUM GRAVIUM Cantorem, JOH. LÜRSEN, CHRISTOPHORUM BÜSING & WILHFLMUM DEELSTEDEN, suo quosvis loco suarum rerum satagentes. Satis sit, hos omnes, summos, imos, nosse: satis sit



sic eorum virtutes & merita agnoscere: satis sit, pro illorum incolumitate, ut diu Scholæ profint singuli, Numeri sollicitare. Utinam modò Juvenes & Adolescentuli doctrinas artésque propositas, per mutuæ industriæ canales, in se ubertim derivent!

Vestrum autem (quod unum & ultimum restare videtur) *Patriæ Patres Scholæque Ephori, Magnif. & Ampliff.* Vestrum inquam ulteriorem favorem, Vestrum patrocinium, Vestram benevolentiam non multis sollicitabimus, ne de Vestra pietate & in optimas literas affectu videamur subdubitare. Quid interim Nos? quid Vos, *Omnium Facultatum Professores Excellentissimi, & Vos Praeceptores Doctissimi, Fautores, Amici, Collegæ venerandi?* Gratulamur Ecclesiæ & Ejus Antistibus Venerandis; gratulamur Reip. ejúsque Civibus summis, medioximis, imis; gratulamur Scholæ in eaque docentibus ac discantibus; gratulamur denique & Vobis & Nobis, tot ac tanta, quæ in hac festivitate grati recordamur, bona, divinitus omnibus & singulis obigisse.

Verùm, quid præsentibus Musarum nostrarum Mœcenatibus pro tot beneficiis in nos, in Gymnasium nostrum profectis redhostimenti loco afferemus? Majora sunt, quàm quibus sumus compensandis. Quid igitur? num *ἀσμβολοι* erimus? minimè: nos totos, obsequia nostra, vota nostra iis spondeamus, exhibeamus: excipite hæc, quæsumus, DOMINI, animo vultuque sereno, Nobisque porrò & Scholæ Vestræ, quod facitis, favete!

DEUM interim Rerumpubl. Præsidem & Statorem precamur, ut optimos Vestros conatus publicos divinâ suâ gratiâ provehat, sapientiâ gubernet, ope tueatur. Idem Annum hunc favoris & gratiæ, lætissimum *Jubileum*, posteris etiam nostris aliquando illucescere largiatur: nos interim nexu servitutis spiritualis magis ac magis solvat, patriæ

triae cœlesti, unde nostrâ culpâ excidimus, reddat, Clementiæque suæ thesauros nobis aperiat. Et cum sciamus, optime DEUS, ea tantùm vota tibi placere, quæ non in summo ore sed imò corde nascuntur, ad quæ ne quidem parati sumus, nisi tu & animum & linguam imbueris, oramus, & in posterum non modò occasionem, sed & mentem ac sensum ad prædicandam bonitatem tuam infinitam benignè largiaris. Verbo, *pro hoc imò & in hoc Gymnasii nostri Jubileo* supplices precamur, ut hanc ipia humanitatis sanctiorisque doctrinæ officinam & abhinc conserves, ne unquam vena illa aurea vel exarescat vel deficiat, verùm ad multiplicem & nostram & posterorum nostrorum utilitatem in annos augeatur.


Denique, *Patres Amplissimi & Vos Viri nobilitate, doctrinâ, sapientiâ, rerum usu & meritis in omnem Remp. Clarissimi, Concio Juvenum modis omnibus Ornatissima,* quòd vel Vestris auspiciis, Vestra autoritate, Vestra etiam munificentia diem hunc Nobis splendidum & illustrem reddidistis, vel honoris causâ ad hanc secularem nostram festivitatem confluxistis, Professores omnes & Scholæ Collegæ per Me fatentur, se Vobis æternâ tantorum beneficiorum memoriâ ad omnia obsequia obstrictos esse, seque, quantum quidem curâ & studio eorum perfici potest, affectum hunc Vestrum prædicaturos, & perpetuâ grati animi recordatione præsequuturos.


Jubila grata DEO devotâque vota feramus!

Namque placent vota & jubila grata DEO!

DIXI.


F I N I S.







15. a. X



15. a. X

20 cm

15

10

5

1

A B C D E F G H I J K L M N O

Balance

Focus

16 17 18 19 20

W X Y Z

VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com

Mikrofilm - System - Vertrieb

